12031/
A I 8

OPVSCVLA
MEDICA.

SCRIPSIT ET COLLEGIT

ERN. GODOFR. BALDINGER,

PHILOS. ET MED. D.

SERENISS. LANDGRAV. HASSO - CASSELLANO GVILIELMO IX. A CONSIL. AB AVLA ET ARCHIATER, FAC. MED. MARBVRGENS. PROF. PRIMARIVS.

GOTTINGAE,

APVD IO. CHRIST. DIETERICH.

1787.

PRAEFATIO.

Programmata, quae Gottingae ſcripſi, hic recudi curaui, cum ſaepius, a me ipſo, et a librario amici mei rogarent exemplar, quod neuter habebat. Vnicum nempe in bibliotheca mea exſtabat, quo cum carere nollem, amicitia Viri Cl. ROEMER factum eſt, vt omnia colligeret, atque mecum communicaret. Si quae lectu digna continent haec opuſcula, eorum collectio debetur Viro amiciſſimo, qui in ſtu-

dio medico et hiſtoria naturali nominis ſui celebritatem ſibi iam dudum comparauit. Viro docto, gratias publice agere, fas eſſe duxi. Scrib. Marburgi, d. 25. Oct. 1786.

E. G. BALDINGER.

CON-

CONSPECTVS.

1773.

I. Progr. aditiale: de iis, quae hoc ſeculo inuenta in arte medica. d. 13. Aug. pag. 1.

1775.

II. Progr. de optima medicamentorum mixtione. d. 8. Maii. Ad diſp. Cand. ab Ao. 73-75. p. 32.

III. Progr. Veſtigia irritabilitatis Hallerianae in veterum monimentis, exemplo calidi innati. d. 23. Oct. p. 63.

IV. Progr. Vindiciae irritabilitatis Hallerianae. d. 1. Dec. p. 95.

V. Progr. Malignitas in morbis, ex mente Hippocratis, per recentiorum irritabilitatem et ſenſibilitatem explicata. d. 30. Dec. p. 114.

VI. Progr. Veſtigia irritabilitatis in veterum monumentis, nuper omiſſa. d. 30. Dec. 1778. ad diſp. Cl. Iassoy et Osann. (Hoc ſpicilegium huc pertinet, licet ſerius ſcriptum.) p. 138.

1778.

VII. Progr. Succincta narratio hiſtorica de magnetis viribus ad morbos ſanandos. d. 11. Ian. ad diſſ. Cl. Leporin de Hypopio. p. 149.

VIII. Progr. de abuſu ſanguinis miſſionis in variis morbis. d. 10. Mart. ad diſſ. Cl. Zollicofer, de ſangu. miſſ. p. 157.

IX.

emendatam eſſe hodie artis noſtrae theoriam et medendi rationem; attamen cauti ſimus in definiendis acceſſionibus, quibus vulgo affirmant locupletatam fuiſſe hoc ſeculo medicam artem. Diſtinguamus, neceſſe eſt, ea, quae hoc ſeculo geſta et inuenta fuere, ab iis, quae non ignorarunt veteres, et quae poſt reſtauratam medicinam, a ſeculo inde decimo ſexto potiſſimum, iam iam ſciuerunt medici. Ita enim apparet, aliqua quidem vere noua eſſe, permulta vero ex antiquitate eruta, et reſtituta iterum, quae in veterum monimentis diu latuere, tenebris obuoluta, propter neglectum veterum ſtudium. Sic praeſtantia hodiernae medicinae, quam laudibus extulit nuper Ill. van Doevern *b*), non ad decimum octauum ſeculum pertinere mihi videtur, ſed potius per hodiernam medicinam intelligi debet ea emendatio artis noſtrae, quae incipit a ſeculo decimo ſexto, quo iterum coeperunt medici frequentius graecorum monimenta euoluere.

Sed liceat mihi ſeorſim aliqua pertractare. Laudant fere omnes anatomen practicam, quae ex cadauerum diſſectione, morborum cauſſas indagare docet; laudant experimenta in viuis inſtituta animalibus, nec non induſtriam, quae ex fabrica animalium cum fabrica hominis com-

b) In Orat. de recentiorum inuentis, medicinam hodiernam veteri praeſtantiorem reddentibus. Leidae 1771.

comparata, docet phyſiologica multa illuſtrare. Sed quem fugit, quanta fuerit olim Herophili atque Erasistrati curioſitas! Imo ex antiſtitis noſtri, Perill. Halleri, ſententia, omnino cadauera diſſecuit medicinae parens, Hippocrates. Quae ſuperſunt hodie Galeni monimenta, praeclare docent, virum ingenioſiſſimum fabricam muſculorum ac neruorum ſingulari ſtudio ſibi cognitam reddidiſſe, et ſi verum eſt illud, facile eſſe inuentis aliquid addere, miror. tanta induſtria Galenvm artis anatomicae fundamenta ieciſſe, cum adeo pauca inueniret in libris aliorum de fabrica partium corporis humani conſignata.

Vera initia anatomiae comparatae ſunt a tempore Gerhardi Blasii, et merito laus debetur recentioribus, inchoatam ab illo animalium diſſectionem tanta ſolertia continuatam fuiſſe nuper. Inde phyſiologia recentiorum certior, et morborum rationes facilius intelliguntur. Vehementer tamen dolendum eſt, ab experimentis illis, quae in animalibus viuis inſtituta, non tuto ſemper deſumi poſſe explicationem eorum, quae in corpore humano fiunt. quod doctiſſimis argumentis euicit nuper Ill. Collega, Jo. Andr. Mvrray c).

 Quod

c) In Orat. Tal om de på Djur anſtäldte Röns och Förſöks opålitelighed vid tillämpningnen på männ-
n ſkans

Quod vero magis adhuc dolendum eſt, conſentire videntur principes huius ſeculi medici, perperam explicari ſaepe morborum origines et rationes, ex iis quae in mortuorum cadaueribus a fabrica naturali aliena reperiuntur. Iterum fauet mihi antiſtitis noſtri Ill. HALLERI auctoritas, quae ſumma eſt. Is enim monuit nuper, cum Cl. GREDINGII diſſectiones maniacorum diiudicaret, perperam ſaepius eius generis morbos a vitiis illis deriuari, quae poſt obitum in corporibus reperiuntur. Saepiſſime enim cerebrum, thoracis, et infimi ventris viſcera, morbis laborant grauiſſimis, adſunt nimirum infarctus, obſtructiones, indurationes, ſcirrhi, lapideae et oſſeae concretiones, et alia plura eius generis, et tamen nullo modo inde mens turbatur. Difficile itaque dictu eſt, nec explicatu adeo facile, quaenam ſint veriores morborum illorum cauſſae et rationes. Prodiit hoc ſeculo quidem, immortale illud magni MORGAGNI opus, prodiit ſimilis labor Cl. LIETAUD et aliorum, ſed non tanta ſibi gratulatur commoda et incrementa medicina practica, quanta quidem deſiderantur. Manet quoque WEPFERO, BONNETO atque aliis, laus iuſta, illos fuiſſe fundatores anatomiae practicae, quod quidem ſtudium hoc ſeculo non coli coepit primum, ſed,

niſkans kropp. Holm. 1772. 8. vid. N. 60. Relat. Gottingenſ. de rebus doctis 1772.

ſee, ſi verum fateri licet, vnice magis magisque emendatum fuit. Saepiſſime autem et deſunt ſigna ſatis certa, ex quibus poſſemus cognoſcere vitia illa, quae et hoc ſeculo adhuc occulta dici merentur. Quinimo ſi data nobis eſſet facultas, ex ſuis ſignis cognoſcere abſtruſa illa et latentia vitia, prorſus tamen deſtituti ſumus adminiculis illis, quibus diſſolui deberent ſcirrhi et indurationes partium internarum. Non ſufficiunt pharmaca noſtris temporibus cognita, et ſi etiam illis ineſt vis remedialis, ſumme efficacia illa remedia plus nocent ſaepius, quam iuuant. Citius enim diſſoluunt noſtri corporis humores, atque adeo deſtruunt prorſus omnem mixtionem ad vitam neceſſariam, quam poſſint ſoluere duriſſimos lapillos atque varia concrementa et lapidefacta viſcera.

Non heri demum coepi mecum cogitare de morbis illis, quos vulgo a neruorum vitiis oriri affirmant, atque probe penſitaui, quaenam ſit maior recentiorum temporum felicitas in arte medendi morbis illis grauiſſimis, quorum ſymptomata et ſigna exacte ſatis apud veteres deſcripta leguntur, vbi multa etiam bona et veriſſima, quae cauſſas concernunt. Sed vix contigit eximio Tissoto, vt in libro de epilepſia melius explicaret origines mali, pharmaca vero ibi laudata et medendi ratio vix noua dici poſſunt. Vires enim aſſae foetidae,

gummi ferulaceorum, valerianae, et ſimilium, antiquiſſimis iam iam temporibus notiſſimae fuerunt, a DIOSCORIDE, FABIO COLVMNA aliisque iam iam annotatae, vt verum maneat, quod alibi iam iam monui, FRIDERICVM HOFFMANNVM et HERMANNVM BOERHAVIVM *d*), praeſtantiorum medicamentorum vſum ex veterum monimentis didiciſſe, atque eam quoque ob cauſſam reſtitutores medicinae graecanicae exſtitiſſe.

Conuulſionum, ſpaſmorum, dolorum, epilepſiae, maniae, melancholiae, et plurimorum chronicorum malorum elegantiſſimam deſcriptionem apud veteres inuenimus, adeo vt affirmare audeam, pauciſſima hoc ſeculo accreſſiſſe, quae ignoraſſe veteres aliqua veritatis ſpecie affirmari poſſit. Nec haemorrhagiarum doctrina ſeculi huius vere noua tradit, ſed ſolummodo ex antiquitate eruta videtur, et pauca ſunt, quae recentiorum ſagacitas addidit. Negarunt nonnulli, eo modo, quo veteres docuerunt, ſanguinem, qui vomitu eiicitur, per vaſa ſic dicta breuia, ſeu vt recte nuperi vocant, ligamenta illa, quae lienem cum ventriculo nectunt, ſibi viam in ventriculum parare, ſed exemplis omnino confirmarunt nuperi, veram eſſe et hanc de vomitu cruento veterum theoriam

d) In progr. de meritis horum in medicinam practicam. Jen. 1772.

riam *e*). Egregia ſunt omnino, quae KAEMPFIUS eiusque amici, nec non TISSOTUS, ſeculi noſtri eximium decus, nobiscum communicarunt de venarum abdominis infarctibus. Haec ipſa vero priſcis iam iam temporibus notiſſima fuiſſe, nemo in dubium vocabit, qui legerit HIPPOCRATIS monimenta illa, in quibus accurata ſatis morbi nigri, vomitus nigri et haemorrhoidum deſcriptio habetur. Non ignorauit diuus ſenex HIPPOCRATES haemorrhoidum ſalubritatem, ſed ſaepius inculcauit, quibusnam morbis haemorrhoidum fluxus, qui ab infarctu liberat vaſa, remedio eſſe poſſit. Viciſſitudines illas haemorrhagiarum, quibus fit, vt ex alienis locis nonnunquam effluat ſanguis, variasque metaſtaſes ex lochiorum cohibito profluuio, eleganter ſatis deſcriptas annotauit princeps ille medicorum *f*). Repetiit nuper atque nouis experimentis confirmauit Perill. HALLERUS veterum illam doctrinam, quae ſtatuit haemorrhagiam nonnunquam per diapedeſin fieri, quod perperam negarunt recentiores.

 Sic

e) Vid. RASOIR. Jo. Bapt. Marx, diſſ. de atra bile nat. et p. n. Duisb. 1766. et
PEILL, Petr. Conr. diſſertat. de Vomitu cruento. Duisb. 1771.

f) Cf. doctiſſimi diſcipuli, Cl. SCHERF diſſ. haemorrhagiarum therapia, Jen. 1772.

Sic quoque Perill. HALLERVS inflammationum theoriam, cuius apud GALENVM iam iam fit mentio, adeo feliciter reſtaurauit, vt mirer, nonnullos adhuc de rei veritate dubitare, cum tamen adeo luculenter docuerit Perill. HALLERVS, ſingula inflammationis phaenomena facili negotio poſſe explicari ex ſanguine in telam celluloſam effuſo.

Febrium, quae ad inflammationum pertinent familiam, indolem, ex monimentis priſcorum tanta facundia tradidit BOERHAAVIVS, vt omnium conſenſu veriſſima ſint illa, quae in aphoriſmis ſuis de ſignis, ſymptomatibus et exitu conſignauit, ex Graecis potiſſimum hauſta. Quotquot enim recentiorum ſuper his morbis ſcripſerunt, nullus diſſentiit ab illis, quae in Coacis de angina, peripneumonia, pleuritide, annotata leguntur, ſed omnes recentiorum confirmant veritatem monitorum Hippocrateorum. TISSOTI egregium librum, *Avis au Peuple ſur la ſanté*, merito laudant omnes, qui veram ſapientiam a rudi barbarie diſcernere didicerunt, propter populare dicendi genus, quo quidem adeo excellit, vt princeps habendus ſit eorum, qui eleganti ſermone et vere maſcula oratione nobiſcum communicarunt vtiliſſima praecepta doctrinarum et artium. Eius autem amabilis viri praecipuum meritum in eo conſiſtere, mihi quidem

quidem videtur, eum gallico ſermone repetiiſſe, quae latino antea BOERHAAVIVS ex priſcis monumentis hauſta docuerat de inflammatoriarum febrium natura et indole. TISSOTI monita ſuper vomicis pulchre conſentiunt cum monitis BOERHAAVII, et huius dogmata in Coacis HIPPOCRATIS legi poſſunt, ex quibus adeo multa hauſit BOERHAAVIVS.

Coeperunt quidem nuperi HIPPOCRATEM iterum euoluere, ſed GALENVM pauci recentiorum legunt, quanquam veriſſimum ſit, ſuper febribus putridae indolis a nuperis vix quidquam dictum fuiſſe, quod non ſcinerit ille atque dixerit iam antea in elegantiſſimo illo de febrium differentiis libello. Probo et laudo recentiorum putridarum febrium deſcriptiones, nihilque horum laudibus detrahere cupio, hoc ſolummodo volo, nimium laudari noſtro tempore emendationem ſtudii noſtri a nonnullis, cum facile probare poſſim, non ſolum ſigna ſed et cauſſas putridarum febrium egregie iamiam nota GALENO fuiſſe atque aliis etiam medicis graecis, quos propter doctrinae praeſtantiam toties commendant doctores in academiis diſcipulis ſuis *g*). BALLONII, BOERHAAVII, SYDENHAMI,

A 5 HVX-

g) Illud etiam egregie annotatum legitur apud Clar. SELLE, in Pyretologia methodica. Berolin. 1773. 8v. pag. 178.

Hvxhami, Pringlii, Stoerckii, aliique ſeculi noſtri celeberrimi medici, qui emendarunt medendi rationem morbis, pulchre conſentiunt cum veterum graecorum doctrina, et hos viros nuper reſtaurare voluiſſe priſcam illam medicinam et medendi rationem, in aprico poſitum eſt.

Firmiter ſum perſuaſus, optimo conſilio beatum noſtrum Brendelivm, inter ſeculi noſtri principes numerandum, malignarum febrium genus diſtinctum a putridis deſcripſiſſe. Prouocat vbique, vir in arte noſtra peritus, ad veterum monimenta, atque vbique inculcauit, ſe non nouam proponere doctrinam, ſed modo antiquam, per tot ſecula comprobatam, repetere, quod magno quidem emolumento artis noſtrae feciſſe arbitror. Alibi iam iam doctus diſcipulorum meorum euicit, vtiliſſimam illam febrium diuiſionem, in inflammatorias,blioſas, putridas, malignas, quae hoc ſeculo quatuor ſumma febrium genera complectuntur, antiquis iamiam notam fuiſſe *h*). Ab eodem quoque illud argumentum pertractatum fuit, quid ſtatuendum ſit, de nouitate doctrinae de diaeta in acutis.

Frequen-

h) Cl. Ravert; in diſſ. de febrium acutarum therapia. Ien. 1772.

Frequenter nuperi partibus dolentibus ipſis adplicare ſolent veſicantia et rubefacientia, idque ſapientiſſimo conſilio magnoque aegrotorum emolumento. Ea vero, qua decet eruditum, humanitate, veteribus inuentionis gloriam tribuit Ill. Medicvs *i*). Generatim autem monendum eſt, artem illam, quae docet exſtimulare vires vitales languentes, quam hodie adeo frequenter exercent medici, noſtri ſeculi inuentum non eſſe, ſed a tribus inde ſeculis iam iam cognitam, et ſeculo potiſſimum decimo ſexto feliciter iam iam exercuiſſe illam illorum temporum medicos. Teſtimonia inueniri poſſunt in libris Herc. Saxonia de Phoenigmis; Thom. Fieni de cauteriis; Petr. Severini de efficaci medicina, et aliis libris, qui veram ſapientiam redolent, ſed hodie non adeo frequenter legi ſolent, quam quidem legi deberent propter vtiliſſima ſapientiſſimaque monita, quae in illis inueniuntur.

Quae cum ita ſint, effectum eſt, vt viri doctiſſimi atque experientiſſimi, hoc ſeculo toties commendarent egregias veterum deſcriptiones illas morborum. Illuſtre exemplum ſiſtit diuitiis rerum medicarum plenus liber Ill. Archiatri Vogelii *k*), qui maluit etiam

i) *Samml. von Beobachtungen. 2 B. Zürch 1766. S. 500.*
k) De cognoſc. et curand. morb. Goettingae 1772. 8v. mai.

etiam veterum remedia commendare, quam minus fida recentiorum temporum. Laus manebit temporibus noſtris, emendatam et determinatam, vt hoc vtar vocabulo, nunc eſſe medendi rationem, quae docet per euacuantium vſum inter initia febrium eliminare ſordes atque impuritates, et hac ipſa ratione tollere ſimul morbum. Nimis neglectam fuiſſe hanc methodum initio ſeculi huius, neminem fugere arbitror. Audax hinc et minus ſecura viſa fuit nonnullis, per emetica et purgantia medendi febribus ratio, cum ante paucos annos horum remediorum vſus frequens eſſe inciperet, illumque in Anglia primum, deinde in Germania etiam commendarent non pauci. Sed nunc nemo amplius diſſentire audet, niſi pauci, non ſatis eruditi in iuuentute, cum ſcholas frequentarent doctorum, qui ne vnguem latum quidem recederent a vulgari illorum temporum medicina. Interim tamen illud notatu dignum eſt, iamiam ſeculo decimo ſexto ſaepius exagitatam fuiſſe quaeſtionem, de vſu emeticorum in febribus malignis. Nimis autem generali ſenſu tunc malignas vocaſſe, quas rectius nunc vocamus putridas ex primarum viarum colluuie impura, probe teneamus, vt conſtet, perſpexiſſe iamiam illo tempore ſagacioris ingenii medicos, ſaluberrima eſſe iuſto tempore data euacuantia.

Ordo

Ordo dicendorum requirit, vt paucis nunc verba faciam de morbis epidemicis praecipuis, de quibus primum meretur locum dyſenteria, quae peſte ipſa frequentius obſeruatur, et tot homines necat, maxime ob turpem illam medicorum ignorantiam et pertinacem atque coecam defenſionem opinionum illarum, quas a praeceptoribus edocti erant. Dyſenteriae naturam et indolem hoc ſeculo demum rectius perſpexiſſe medicos; atque methodum huic morbo ſanando praecepiſſe, quae nititur veris artis noſtrae fundamentis, illud vel inuidia ipſa fateri debet. Noua ſunt omnino, nec antea dicta, quae viri laude illuſtri conſpicui, qui hoc ſeculum ornant, PRINGLE, TISSOTVS, ZIMMERMANNVS, ſcripſerunt de natura dyſenteriae et methodo huic morbo medendi. Edocti nunc ſumus, dyſenteriam mox eſſe bilioſam, mox putridam, interdum vero veram ſanguinis diatheſin phlogiſticam morbi genus conſtituere, atque cauſis illis potiſſimum accommodandam eſſe methodum medendi, nec nocere vnquam in dyſenteria vſum fructuum horaeorum, ſed potius ſaluberrimum praebere victum. Methodus illa, quae docet iuſto tempore propinare in dyſenteria euacuantia ſelectiora, magno mortalium emolumento inuenta fuit, et tutior longe, quam quae iubet inania et noxia terreſtria abſorbentia vel adſtringentia exhibere.

Quid

Quid dicam de vſu clyſterum hodie longe frequentiori, quam olim. Nonne clyſteres optime medentur dyſenteriae, febribus, et morbis tam chronicis, quam acutis; atque magis proſunt, quam quae antea in vſu erant in iisdem morbis, remedia.

Merito ſibi vindicat hoc ſeculum, variolarum indolem nunc melius perſpicere noſtros. Cognouimus tandem, febrem illam, quae accenditur a miaſmate illo peſtiſero, non ſemper inflammatoriae indolis eſſe, ſed ſaepe ex genere linoſarum, vel putridarum, atque adeo methodum antiphlogiſticam interdum aeque noxiam, quam calidam, quae antea in vſu erat, fore, ſi nullo habito reſpectu ad indolem febris, omnibus ac ſingulis aegrotis, eadem praeſcribere vellemus remedia aeſtum temperantia.

Quod attinet vſum acidi vitrioli, quod larga doſi commendat Tissotvs, illud monendum eſt, Hvxhamvm iamiam larga manu antea exhibuiſſe, immo diu iamiam dediſſe principes Angliae medicos, ſeculo enim nuper elapſo praeſcripſit Lister, atque alii. Cluttoni medicamenta, quae tanti fecit Hvxhamvs, huc omnino pertinent.

Variolarum inſitio nouum inuentum non quidem dici meretur, cum antiquiſſimis iam

iam

iam temporibus apud orientis populos cognita fuerit. Coepit tamen hoc ſeculo in Europa etiam tentari, et anglis, quibus tot tantaque debet incrementa ars noſtra, gloria manet, ab illis primum laudatam, et paulo poſt in Anglia frequenter adhibitam fuiſſe. MAITLANDII, KIRCKPATRICKII merita, et nuperorum, MONROI ſenioris, atque aliorum teſtimonia pro cauſſa inſitionis, neminem latent. Domus Regia cum audiuiſſet ab illuſtriſſima Domina MARIA WORTHLY MONTAGVE, proſperrimum variolarum inſitionis euentum, ſtatim probauit hanc prophilaxin, quae in Principe haerede exoptatiſſimo effectu adhibita fuit. Acriter quidem ſcripſerunt nonnulli contra variolarum inſitionem, ſed ad hunc diem vsque victoria manſit apud illos, qui commendarent inſitionem.

Quam vero artem variolas inſerendi nimium fere ornauerant multi, illam ad ſimplicitatem iterum reduxit nuper Cel. GATTI, cui multum debet eam ob rem ars noſtra, et cuius eximium libellum inter noſtrates promulgavit Ill. WAGLERVS.

Noua quaeſtio deinde mota fuit de variolarum exſtirpatione, ſed quam vana fuerit ſpes illa, teſtatur rei euentus, atque nunc omnes fere ſilent, nec amplius vrgent exoptatum artificium.

Paucis

Paucis ab hinc annis omne genus febrium exanthematicarum ſolertiori ſtudio pertractarunt Germaniae medici principes non ſolum, ſed etiam Angliae, atque Italiae. Nouum dici meretur augmentum artis noſtrae, quod in libris lectu digniſſimis communicarunt nobiscum de miliarium indole ALLIONI, FORDYCE, FANTONI et alii, qui hoc morbi genus accurate ſatis obſeruarunt. Cognouimus tandem poſt tot controuerſias inter noſtros exagitatas, miliarem febrim eandem ludere ſcenam, quam ludere ſolet febris varioloſa. Communi omnium ſuffragio ad febris naturam et indolem potius reſpiciendum eſt, quam ad exanthemata ipſa, quae in cute apparent, illaque ſingula generaliori methodo ſanantur, cum propria non dentur remedia, quae miaſma ſui generis, variolarum, miliarium, deſtruunt. Inde ſtabilita ſunt recentiorum axiomata, modo reſiſtendum eſſe inflammationi, modo bilem eſſe corrigendam, nunc vero ſuccurrendum cortice peruuiano, aliisque antiſepticis, quae putredini reſiſtunt, vel nervorum morbis medentur. Sic tandem inter omnes conſtat, exanthemata illa, quae variolae vocantur, non ſolius inflammationis eſſe effectum, non ſemper illis conuenire antiphlogiſtica, nec quae ſunt reliqua exanthemata, eſſe effectum medelae peruerſae, aut calidi nimis regiminis, ſed potius deberi ſpecifico miaſmati,

miaſmati, quod modo in ipſis humoribus euoluitur atque generatur, modo autem per contagium communicatur. Inuentis huius ſeculi adnumerare debemus, quae HOME primus omnium de morbillorum inſitione prophylactica, MVZELIVS autem de achoribus inſerendis docuerunt. Setaceorum hodie frequentior vſus non nouus mihi videtur, ſed ex antiquitate potius erutus.

Corticem peruuianum, quem ſeculo XVII. RICHARDVS MORTON vehementer laudabat in Anglia, ad febres potiſſimum intermittentes ſanandas, poſtea in epidemicis febribus TORTI, primus autem in Germania, Ill. noſter WERLHOFIVS, in permultis aliis morbis ſaluberrimum eſſe medicamentum, poſt WERLHOFIVM multi hoc ſeculo docuerunt. Recte quidem monuerunt experientiſſimi atque in arte noſtra exercitatiſſimi medici, eum non ſemper ſufficere in debellandis febribus intermittentibus, et fatetur iam b. LOESECKE, ſibi plus praeſtitiſſe gentianam rubram. Sed liberalior vſus corticis, in pluribus febrium generibus atque chronicis morbis, ſanatu difficilioribus, ſeculi huius praecipuum eſt inuentum, quod nemo tam facile in dubium vocabit. Cui inuento et adnumeranda veniunt, varia corticis cum aliis pharmacis connubia, de quibus iam olim

 ſeorſim

ſeorſim aliqua ſcripſi. Medetur autem cortex ſiue ſolus, ſiue ſimilibus mixtus, morbis a fibra debili, et fluidorum putredine ortis, atque ab illa vi, vt videtur roborante, omnes eius effectus in morbis ſalutares, repetere debemus.

Pringliana illa inuenta, circa vim antiſepticam corporum quorundam, tanti facio, vt totus perſuaſus ſim, inter inuenta ſeculi huius principem mereri locum. Priſtinae gloriae princeps ille Anglorum medicus feliciter reſtituit putridarum et bilioſarum febrium theoriam, vt nunquam nominarim Reginae noſtrae medicum, quin laudauerim impenſe eximii viri merita et inuenta.

Prae ceteris pathologiae capitibus, quae nouis inuentis hoc ſeculo exornata fuere, illud, quod de vermibus tractat, attentionem meam deſiderat. Potiſſimum vero hiſtoria vermium hoc ſeculo magis fuit exculta, nimirum taeniae ſpecies melius deſcriptae ſunt, licet eandem opinionem, quam ex nuperis multi adhuc defendunt de vermibus cucurbitinis, apud Hippocratem prolixe ſatis traditam inuenire poſſint, quibus volupe, comparare dogmata veterum cum recentiorum ſententiis *l*).

Tri-

l) Lib. IV. de morbis, Cap XXVII. ed. Lind. p. 150. Vol. II.

Trichvrides autem monente Ill. Vogelio iam olim innotuerunt obſeruatoribus. Quod porro vermium ſymptomata et ſigna attinet, dubito, multa addidiſſe recentiores, quae non cognita fuerint antiquiſſimis iam temporibus. Pathologia ſic dicta verminoſa natales debet veterum commentis de generatione aequiuoca, quae a tot ſeculis ab Aristotele et Aeliano, toties repetita fuit in ſcriptis medicorum.

Nec in eo acquiſiuerunt ſeculi huius medici, vt emendarent in dies magis morborum hiſtoriam, ad veterum potiſſimum exemplar, vt cauſſas melius perſpicerent tot morborum ac ſymtomatum, ſed illas ex phyſicis legibus explicare, nec non ex chemiae capitibus, immo etiam ex mathematum ſublimioribus diſciplinis illuſtrare ſtuduerunt. Iatromathematicos ſe voluit appellari ſuperba gens, quae excoluit medicinam illam phyſico-mechanicam, et inter initia huius ſeculi extulit inprimis caput, ac omnem fere antiquiorum temporum medicinam euertere allaborauit. Permulta quidem, quae in corpore animali fiunt, mechanismo deberi, nemo in dubium vocare cupit, ſed eo vsque proceſſit audacia Iatromathematicorum, vt ſingula phaenomena oeconomiae animalis a viribus illis, vt vocantur, mortuis, deriuarent, atque

ex ſolo mechaniſmo explicarent omnia. Error errorem peperit. Nempe febrium, dolorum, conuulſionum, inflammationum et omnium morborum mechanica, mira oſtentatione tradita fuit in libris permultis magno verborum apparatu, atque mathematum more in febrium diſciplina tradiderunt theoremata, problemata, corollaria, axiomata, et neſcio quae alia. Sed principes huius ſeculi medici Iatromathematicorum dogmata ſtatim refutarunt, et docuerunt, praeter mechanicas illas vires, ineſſe animalibus vires, quae viuae vocantur, atque ab illis toto coelo differunt, et quibus potiſſimum debentur praecipua phaenomena et mutationes, quae in viuis animalibus contingunt. Manet iterum laus Perilluſtri HALLERO, eum primum omnium indolem *irritabilitatis* et *ſenſibilitatis* per experimenta potiſſimum detectam, deſcripſiſſe. Nemo melius perſpexit Perill. HALLERO commenta, quae STAHLIVS tradiderat de motuum animalium et muſculorum cauſſis. Solide refutauit antiſtes noſter in opere immortali phyſiologico errores STAHLII, ſimulque aliorum mechanicam doctrinam de fluidorum ſecretione, et de mechaniſmo reſpirationis. Diu iam iam occupatus fui in ſcribenda hiſtoria de ſectae Iatromathematicae origine, fatis et commentis, quam ſuo tempore typis excudendam curabo. In eo autem libro prolixe dicam de matheſeos

in

in medicina abuſu, et per exempla demonſtrabo, quot peperit in arte noſtra errores, legum phyſicarum et mathematicarum non ſatis cauta adplicatio ad illuſtranda oeconomiae animalis phaenomena. Vnitis quaſi viribus principes huius ſeculi medici nouam doctrinam refutarunt, cum perſpicerent, nullo modo ſufficere ſolam phyſicam et matheſin ad explicanda negotia oeconomiae animalis. Circuitus humorum, ſecretiones, febres, inflammationes, ſpaſmi, dolores longe melius hodie ex natura et indole irritabili et ſenſibili partium noſtri corporis explicari poſſunt, poſtquam magis exculta eſt doctrina virium vitalium. Ipſe Perill. HALLERVS praeceptorem, immortalem BOERHAAVIVM, correxit, qui nimis credulus BELLINI atque aliorum ſubtiliter excogitatam theoriam obſtructionum pro vera aſſumſerat, atque in Aphoriſmis ſuis inflammationem ex ſola vaſorum obſtructione oriri docuerat. Refutauit etiam ſuo tempore b. BRENDELIVS, inſigne decus Georgiae Auguſtae, commenta illa de ſextupla globulorum ſanguinis LEVWENHOECKIANA ratione, et idem eximius vir, qui ſublimioris matheſeos myſteria ſibi admodum familiaria reddiderat, vt nemine contradicente iuſtus arbiter dici poſſit ſuper vero pretio iatromathematicae; nunquam tamen amplexus eſt hanc nouam noſtro ſeculo potiſſimum excul-

 tam

tam doctrinam, ſed ſtrenuus manſit veterum aſſecla et vindex. Intellexiſſe autem b. BRENDELIVM noſtrum, Iatromathematicam illam, immo rectius, quam permulti alii, qui volebant videri, ſe penitius perſpexiſſe omnia huius doctrinae abdita myſteria, teſtari poſſunt viri b. ſcripta de pulſu febrili *m*). Sed mitto in praeſenti tempore Iatromathematicam illam, de qua ſuo tempore ex inſtituto agam. Illud enim nunc erat monendum, praecipuis ſeculi huius inuentis annumerandam venire illam pathologiae emendationem, quam debet potiſſimum Ill. GAVBIO, atque aliis, qui nuper magis magisque doctrinam virium vitalium excoluerunt, et ex illarum natura et indole docuerunt veras morborum rationes, quae ab irritabilitatis et ſenſibilitatis vel exceſſu vel defectu deriuandae ſunt. Vere nouam quoque cenſeo appoplexiae pathologiam, quam ſtabiliuit nuper Ill. TISSOTVS, et quae omnino viribus nititur vitalibus. Cognationem appoplexiae ſanguineae cum febribus inflammatoriis adeo luculenter euicit, vt negari non poſſit Ill. TISSOTVM magno mortalium emolumento nouam medendi rationem apoplexiae tradidiſſe, quae toto differt coelo ab illa, quae tempore HOFFMANNI, SYLVII, in vſu erat, nondum emendata ſatis a BOERHAAVIO.

m) Recuſ. in Opuſc. T. I. p. 136. ſqq. Ibi etiam occurrunt reliqua mathematica Brendeliana.

HAAVIO. Pietas iubet, vt hoc loco etiam b. praeceptoris, Ill. MANGOLDI mentionem faciam, cui me multum debere, grato animo profiteor. Sagaciſſimi ingenii optimus ille praeceptor et fautor, in eleganti illa diſſertatione, plures dari apoplexiae praeter ſanguineam ſpecies, quam in opuſculis eius recudi curaui, ſpecimen dederat, quomodo ſeculi huius inuenta praecipua vſibus practicis accommodanda ſint, quod quidem praecipuum doctoris cenſeo eſſe officium.

Quae Ill. TISSOTVS in methodo medendi variolis et hydropi emendauit, illa pari iure inter praecipua noſtri ſeculi inuenta numero. Nimis foret prolixum, ſi omnia et ſingula huius ſeculi inuenta enumerare atque ſeorſim diiudicare vellem Grato agnoſcunt animo, quibus curae cordique eſt ſalus hominum, tot obſeruationes ex cadauerum diſſectione collectas, in quibus explicandis ſumma induſtria occupati ſunt celeberrimi medici *n*). Neque tamen medicorum huius ſeculi induſtria ſolum

 detexit

n) Cf. potiſſimum exempli cauſſa, Ill. de HÄEN, Rat. med. P. IX. cap. II. p. 50. ſeq. et
Ill. ISENFLAMM, diſſ. I. et II. de difficili epicriſi in obſeruationes anatomicas Erlang. 1772 et 1773. nec non
Ill. 'S GRAEVWEN, Orat. de anat. pathologicae vtilitate ac neceſſitate. Groning. 1772
Ill. SANDIFORT Orat. de circumſpecto cadauerum examine, optimo med. pract. adminiculo. Leid. 1772.

detexit multa per inſtituta experimenta et collectas obſeruationes, ſed per errores quoque multa noua inuenta ſunt *o*). Anatomia in primis multa ſibi vindicat ſeculi huius inuenta, ab eo tempore, quo b. ALBINVS muſculos, HALLERVS vaſa et neruos accuratius deſcripſerunt, neruos generatim MONROVS et MARTIN, et ſpeciatim Ill. MECKEL par neruorum quintum, ac faciei neruos, Ill. NEVBAVERVS et b. ANDERSCH neruos cardiacos, ASCHIVS par primum neruorum ſpinalis medullae, MATTAEI par I. II. III et IV, KRVGERVS neruum phrenicum, LOBSTEINIVS neruum ſpinalem ad par vagum acceſſorium, METZGERVS primum par; ALBINVS, TARIN, BERTIN, NESBIT oſſa; ZINNIVS oculum, LIEBERKÜHNIVS inteſtinorum villos; MONROVS et NEVBAVERVS tunicam teſtium vaginalem; HALLERVS telam celluloſam, WEITBRECHT ligamenta, et alia aliorum taceam inuenta, cum ſingula recenſere non poſſim. Fabricam a naturali alienam deſcripſit Cl. TIMMERMANN *p*) et Cl. IO. CAR. INSFELDT

o) Exempla recenſuit Ill. van DOEVERN, in Orat. de erroribus medicorum, ſua vtilitate non carentibus. Gröning. 1762.

p) In diſſ. de notandis circa naturae in machina animali luſus. Duisb. 1750.

FELDT *q*). Merentur etiam laudari TROSCHEL *r*) et ZÜCKERT *ſ*), qui ex alieno viſcerum ſitu, morborum origines illuſtrarunt. Quod morbos attinet, illos poſt b. HEBENSTREITIVM in claſſes, genera et ſpecies diuidere denuo allaborarunt SAVVAGES, Ill. LINNEVS, Ill. VOGELIVS et Cl. SAGAR. Epidemicorum vero morborum accuratas deſcriptiones nobiſcum communicarunt HVXHAMVS, PRINGLE, TISSOT, SARCONE, GRAINGER, Ill. ZIMMERMANN, Ill. GRIMM, CLEGHORN etc.; periodicorum hiſtoriam concinnam Ill. MEDICVS, endemiorum denique Ill. CARTHEVSER. Plurimorum autem morborum naturam et indolem nunc melius cognouimus ex libris optimorum obſeruatorum, v. c. MONROI de hydrope, WHYTTII de malo hypochondriaco, CHENNOTI de peſte, VOGELII de ſtymatoſi, de lienteria, de fluxu coeliaco. Aliorum morborum origines atque ſpecies nunc longe melius, quam olim explicari poſſunt, vt pauca adducam exempla, metaſtaſes omnis generis, nec non hydropis ſpecies,

q) In diſſ. de luſibus naturae. L. B. 1772. Docta et vtilis compilatio, cum epicriſi.

r) Diſſ. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis. Frft. 1754.

ſ) Diſſ. de morbis ex alieno ſitu viſcerum thoracis. Frft. 1760.

cies, hodie per inuenta HALLERI et MECKELII de tela celluloſa et venis lymphaticis, facilius explicantur, quam olim, vbi fabricam illarum partium ignorabant veteres. Herniarum ſpecies in quarum diſtributione cum laude verſati ſunt Ill. VOGELIVS et Ill. KLINKOSCH, ſolummodo rectius diſtinguere docuit recentior anatomia ſeculi huius, cui multa, immo praecipua debet recentiorum Chirurgia. Quis ignorat merita Ill. HALLERI in emendanda generationis hiſtoria, quo nemo accuratius obſeruauit pulli natales.

Hiſtoriam animalium, quae polypi vocantur, nouis inuentis hoc ſeculo auctam fuiſſe, laetamur. Quae de animalium illorum generatione nunc ſcimus, quam tanta ſolertia obſeruarunt BONNETVS, et nuper MÜLLERVS, qui tot inuentis inclaruit, reformarunt omnem veterum generationis theoriam.

Botanicae hiſtoricae et phyſicae noua inuenta ſi vellem omnia et ſingula enarrare, limites excederet narratio mea libelli huius. Praecipua tamen nominaſſe ſufficiat. Sunt vero ſexus et amores plantarum, et ſpuria harum ſoboles, quam inſtitutis experimentis tandem obtinuit Ill. KOELREVTER; foliorum in plantis vſus, a BONNETO inuentus, flores planta-

plantarum, quae ad cryptogamiam vulgo referuntur, a Maratti deſcripti, et vera femina per Ill. Schreberum nuper confirmata. Hiſtoriam ſyſtematum botanicorum huius ſeculi Adansonivs, Oedervs et Exc. Giesecke, in libellis doctiſſimis ſeorſim pertractarunt, vt non opus ſit, ea quae ibi leguntur et legi poſſunt, hic iterum repetere. Incrementum ſtudii hiſtoriae naturalis ſeculi huius non complectitur ſolum notitiam characterum plantarum, mineralium, ſed didicimus etiam horum vires et vſus, atque permultis nouis remediis nunc morbos ſanare ſumus edocti. Sed eodem tempore, quo ex orbe, tam veteri, quam nouo, tam multa pharmaca allata eſſent, forſan obliuiſcimur iterum remediorum optimorum, quorum tamen vſus frequentior ſalnberrimus foret. Inde factum eſt, vt optimo conſilio Ill. Vogelivs in libro, quem inſcripſit: hiſtoria medicamentorum, iterum inuſitata illa hodie, recenſeret. Idem eximius liber teſtatur, veteres medicamentorum magnum iam iam habuiſſe apparatum, vt dubitare omnino liceat, vtrum recentiorum apparatus veterum illo dici poſſit maior. Pridem iam optarunt ex nuperis multi, vt noua iterum vellemus inſtituere tentamina circa vires medicamentorum, quorum apud anteceſſores noſtros ſit mentio.

Sunt

Sunt tamen remedia, quorum vires hoc ſeculo demum ſollertiori ſtudio indagarunt medici. Quis non auguratur ſtatim, me intelligere aquas ſoterias, quas omnium fere primus, b. HOFFMANNVS, Germaniae illud inſigne ornamentum, optima methodo explorare coepit. Eius viri veſtigia deinde ſequuti ſunt permulti, et perfecerunt inchoata ab illo, ſed nondum abſoluta tentamina. Fieri enim non poterat, vt doctiſſimus HOFFMANNVS ſtatim omnia exhauriret, et aquarum hiſtoriam, ab omni errrore repurgatam, nobiſcum communicaret.

Animaduerto autem, me non ſingula, ſicut mecum conſtitueram, et ex voto in hoc libello pertractare poſſe. Pauca itaque nunc addam de fatis ſtudii ſemiotici huius ſeculi, reliqua vero reſeruabo, donec oportunam nanciſcar occaſionem, pleniorem ſeculi decimi octaui hiſtoriam medicinae ſcribendi. Signa fida equidem non pauca diagnoſtica et prognoſtica, quae hoc ſeculo annotata fuere, in compendio tradidit b. KLEINIVS. Similem KLEINIANO libellum, de prognoſi in acutis, edidit nuper Cl PEZOLD. Sed vel hi ipſi libelli teſtantur, paſſim quidem nouis obſeruationibus auctam fuiſſe hoc ſeculo doctrinam ſignorum in morbis: quod vero methodum in addiſcenda ſemiotica attinet, patet,

hanc

hanc nouam non eſſe, ſed totam veterum, quos per tot ſecula ſequuti ſunt principes medici. Nec miror recentiores omnes veterum ſequi veſtigia; nam tanta ſollertia et induſtria confirmarunt praecipua ſigna, vt parum abſit, quin affirmem, vix noua aliqua proponi poſſe, quae non ſciuerint olim medici graeci. Eleganter id comprobauit nuper b. HEBENSTREITIVS, Lipſienſis Profeſſor, ornamentum Germanorum, cuius merita ignorare videntur noſtri, ſaltim non ſatis laudant, cum tamen vehementer laudent alios, qui vix laudes merentur. Ille vero in egregiis ſpeciminibus *παλαιολογιας*, quibus veterum placita recentiorum ſententiis aequauit, ſatis abunde docuit, fere omnia, quae hodie in ſemioticis traduntur, olim iam iam graecis fuiſſe cognita. Non ſolum autem ex ſcriptis lectu digniſſimis HEBENSTREITII, KLEINII, PEZOLDI, hanc veritatem diſcimus, nihil fere dici poſſe hodie noui, quod non dictum fuerit iam olim, ſed etiam HENRICI COPE liber, quem denuo typis excudi curaui, eandem veritatem docet. Pulſuum doctrinam, quam nuper excoluerunt in Gallia multi, inprimis FOVQVET, BORDEV, et alii, quorum libelli hodie in omnium verſantur manibus, vocant equidem *nouam*, ſed recte dixit Cl. WETSCHIVS, ſtrenuus defenſor nouae ſic dictae pulſuum doctrinae, praecipua huius moni-

monimenta reperiri iam iam in libris GALENI de differentiis pulſuum, illamque tantum Gallorum ſtudio magis magisque excultam eſſe. Coronidis loco pauca adhuc moneam de methodo, quae medicamentorum vires explorare docet. Volunt alii chemico examine indagare horum vires, alii e contrario contendunt, ſolam experientiam rectius docere, quaenam inſint medicamentis vires Vtraque vero methodus noua dici nequit. Quae enim ſolummodo experientiam commendat, vetuſtiſſima eſt, a DIOSCORIDE aliisque graecis, nam antiquiſſima ſunt graecorum monimenta, quae ad nos peruenerunt, iam iam recepta. Chemica vero exploratio remediorum, quam noſtro ſeculo excolere ſtuduerunt b. NEVMANNVS et Ill. CARTHEVSERVS, ſeculo iam iam praeterito in Gallia, maxime per ſocios academiae Pariſinae, excoli coepit, hoc ſeculo autem ſedulo per b. GEOFFROY continuata fuit. Non mearum eſt, componere lites, quaenam praeſtantior ex his methodus. Longe plura quidem adhuc monenda in promptu habeo, ſed vela contrahenda ſunt. Prolixiori ſermone, et ex inſtituto, ſuo tempore hiſtoriam ſtudii medici et inuentorum huius ſeculi annotationibus illuſtratam, foras dabo. Nonniſi enim ſpecimen nunc exhibere volui, quomodo diiudicanda ſint, artis medicae ſeculi huius inuenta

et

et verum eius incrementum. Eam enim normam mihi praeſcripſi ſemper, cum in academia Ienenſi per quinque annos artem medicam docerem, vt veterum aeque ac recentiorum praecipua inuenta mihi cognita redderem, et vbique indicarem auditoribus meis, quaenam a veteribus iam iam dicta ſint, et quidquid recentiorum ſtudio acceſſerit arti noſtrae. Publice fateri non dubitaui, me ſequi veſtigia illuſtrium virorum, qui docuerunt in academia Gottingenſi artem medicam.

II.

II.

PROGRAMMA,

DE OPTIMA MEDICAMENTORVM MIXTIONE.

MDCCLXXV. D. VIII. MAJI.

Quae ſit optima medicamentorum mixtio et miſcendorum ratio, breuiter data nunc opportuna occaſione, differere, mecum decreui. Etenim viſum eſt, ſupereſſe adhuc quaedam monenda, de argumento illo, cuius vtilitatem in artis exercitio, ſelectis nonnullis exemplis, ſuo loco recenſendis illuſtrabo. Graecorum ſimplicem medendi methodum ſaepe nunc laudari audio, illamque tanquam normam medicis iunioribus commendari. Nemo me magis laudare poteſt ſimplicem methodum, quae Graecorum fuit, ſed ſimplici medicina non vbique tentarunt ſanare morbos graues, et acutos et chronicos, et vehementer errant, qui ſibi perſuadent, ſolis ſimplicibus veteres morbos ſanaſſe. Oxymel illud ſimplex dictum, quod Graeci dederunt frequenter in febribus acutis, ſimplex non eſt, ſed compoſita medicina, et in ipſis monimentis Hippocratis paſſim occurrunt varia medicamenta compoſita,

ſita, alia mitiora, alia draſtica, vt nullum ſit dubium, veteres nec vbique ſimpliciſſimam adhibuiſſe medicinam, nec ſemper ſelecta compoſita praeſcripſiſſe. Farraginem potius, quam ſelectum medicamentorum in Aetii ſcriptis inuenimus, qui et remedia nonnulla recenſuit, quae ſunt vana prorſus, immo ſuperſtitioſa, nulliusque virtutis. Non miror autem, omni tempore fabulas aniles in tabulas medicorum memoriales irrepſiſſe. Origo enim artis noſtrae ſuperſtitioſa fuit, denſiſſimisque nebulis infuſcata et commentis conſpurcata manſit ars noſtra vſque ad tempora Hippocratis Coi, qui omnium conſenſu medicinae parens habendus eſt. Ab Aegyptiis valde ſuperſtitioſis Graecanica medicina natales habuit, nec a ſuperſtitione alieni *Arabes*. Graeci itaque in rebus diuinis et humanis aeque ſuperſtitioſi, ſicut orientis totius populi, haereditatis iure quaſi a maioribus acceperunt fabulas aniles et commenta ſuperſtitioſa, de viribus tam ſimplicium quam compoſitorum, quorum paſſim conſeruarunt nobis memoriam. Quot ſagaciſſimus Galenvs commenta nobis reliquit, qui laudes quas iure meretur, maculauit non raro nimis credulus, de mixtorum quorundam efficacia nimis magnifice ſermones faciens, et de Aſtrologiae inani ſtudio, antiquiſſimo licet, nimis honorifice ſentiens. In libris hodie ſuperſtitibus Romanorum et Arabum,

non pauca ſuperſtitionis veſtigia circa compoſitorum vires occurrunt. Permulta ex Graecorum monimentis, et ex GALENI inprimis vaſtis voluminibus exſcripſerunt, et propriis a ſe inuentis compoſitionibus, quae partim ſuperflua multa et inefficacia continent, partim ſuperſtitionem ſapiunt, auxerunt. Triſtiſſima erant illa tempora, quae *Barbara* vocantur, tunc enim, cum ars noſtra eſſet mancipium monachorum, Diis Deabusque medicinae tutelaribus, Aegypti, Graeciae, Latii, noua fuere ſubſtituta ſimulacra.

Quis hodie non ridet vana illa compoſita, *manus Chriſti*, *vnguentum apoſtolorum*, *balſamum ſamaritanum*, vt centum alia taceam exempla, aeque abſurda et ſuperſtitioſa.

Sed tanta erat illo tempore ſuperſtitio, vt plantas etiam in re herbaria nominibus Sanctorum ſignarent *a*).

Quum reſtauratores medicinae graecanicae vetuſta illa Graecorum monimenta in latinum ſermonem conuerterent, et pariter Arabum ſcripta latine translata prodirent, ne hilum quidem a maioribus diſſentire auſi ſunt medici illorum temporum. Placuit omnibus formula quaeuis ſesquipedalis, modo Graecum haberet

a) Cf. voluptatis potius cauſſa, quam vtilitatis: CONR. GESNER, de plantis a Diuis Sanctisue nomen habentibus. Baſil. 1591. 8v.

haberet auctorem, vel ad Graecorum mentem concinnata eſſet, et quanti fecerint *Theriacam coeleſtem*, et eius generis alia multa, quis eſt, qui ſit neſcius. Chemicis quidem ſtraminea, vt ita dicam Galenicorum remedia, ex regno vegetabili deſumta, diſplicebant, ſed quot ſunt formulae innanes, quae in horum libris occurrunt, et quantam vanitatem produnt *magiſteria*, et perperam ſic appellata *quinta eſſentia* vegetabilium: nec non commentitia doctrina de vegetabilium ſignatura, a chemicorum ſecta inprimis exculta, et in artis formam redacta. Ab eo tempore terreſtrium vſus omnis generis frequens eſſe coepit, et vix occurrit formula, in qua non reperiuntur mater perlarum, margaritae, lapides cancrorum et chelae, cochleae, mandibuli lucii piſcis, lapis percarum et porcorum, cornu cerui vſtum, ebur raſpatum, dens apri et hippopotami, lapis manati, vnicornu, priapus cerui, talus leporis, terrae ſigillatae, et quae ſunt reliquae huius farinae.

Quis legere poteſt hodie ſine nauſea tot vanas compoſitiones ex meris terris, contra epilepſiam laudatas. Qui ſapit, exclamat coactus: *riſum teneatis amici.*

Vana libido exornandi artem illam, quae docet formulas medicinales concinnare, paſſim nocuit incremento artis noſtrae. Non dubita-

runt enim multi quadrata miſcere rotundis, oſtentationis cauſſa potius, quam vt mortalium rebus et miſeris aegrotis proſpicerent. Crimen putarunt, ſi non in quauis formula baſis, iuvans, corigens, excipiens ſimul occurreret, vt ſcilicet omnibus ac ſingulis praeceptis illius artis facerent ſatis.

Si omnia igitur rite conſideramus, ſunt mixtionis et compoſitionis medicamentorum inanis cauſſae praecipuae, ridicula medicorum, partim maiorum, et praeceptorum a quibus eruditi, veneratio, nimium elegantiae in formulis concinnandis ſtudium; partim hypotheſes falſae, ac denique, quod eheu ſaepe obſeruatur, male in ſcholis a tironibus intellecta doctrina de formulis ſcribendis. Haec vltima cauſſa, ſi non vnica, praecipua tamen videtur, cur noſtris etiam temporibus non poſſimus carere prorſus libris illis, qui vocantur vulgo diſpenſatoria, vel pharmacopoeae, ne ſcilicet multi propter ignorantiam et in academiis neglectam diligentiam in ſtudio ſcribendarum formularum, non magis ineptas ſciberent formulas, quam ſunt illae, quae in vaſtis illis libris paſſim occurrunt, in opprobrium noſtrae artis. Fatentur enim, qui de his rebus iudicare poſſunt, ſingula quae hodie exſtant diſpenſatoria, non eſſe ſine naeuis paternis.

Vete-

Veterum formulas multas, quae apud DIOSCORIDEM, MARCELLVM EMPIRICVM, SCRIBONIVM LARGVM, CELSVM, ACTVARIVM leguntur, magis curioſitatis cauſſa inſpicimus, quam vt in vſus vertere velimus.

Non potuit vero doctrina de miſcendis remediis emendari, niſi viri docti, ab omni anili ſuperſtitione prorſus alieni, purgarent antea ſtabulum Augiae, ſeu armamentaria olim dicta, pharmacopolarum tabernas, a ſordibus atque quisquiliis. Laetiſſimo quidem euentu permulta iamiam ex pharmacopolarum tabernis eiecta ſunt, ſed remanſit adhuc ingens multitudo, quae felici audacia in omne aeuum vt videtur, proſcribenda foret, ac ſummo iure exulare deberet, quod qui ſapiunt, vehementer optant.

Sed propius nunc ad inſtitutum meum me conuerto. Simplex medicina non vbique ſufficit, et praeſtat ſaepe nunc addere iuuans, nunc corrigens.

Si formae habenda eſt ratio, excipiente nos carere non poſſe, res ipſa docet. Entia non eſſe citra neceſſitatem multiplicanda, fruſtra monuerunt multi, quamquam omnes perſpicerent, ſimplicem mixtionem vbique laudes mereri.

Emendat non raro, conſenſu omnium, mixtio ſimplex vim et indolem medicamenti, auget illam, vel coercet vim noxiam. Saepe vero ſola mixtio veneni ſpeciem gignere ſolet.

Quanta ſit efficacia mixtionis ſimplicis in mutandis corporum qualitatibus et viribus, per exempla docet chemia vniuerſa, maxime vero doctrina ſolutionis et praecipitationis, quae corpora nunc ſeiungit, nunc iterum coniungit.

Quot ſurgunt ex alcali et acido varii generis, ſalium ſpecies, quae ſapore ac vi remediali multum differunt. Ex ſalibus cum mercurio vnitis, naſcuntur tot pharmaca heroica, nunc ſaluberrima, nunc ſumme venenata. Parantur ex acido concentrato et ſpiritu inflammabili acida, quae dulcificata vocantur, nec non naphthae. Ex oleo preſſo et lixiuio ex alcali cauſtico, ſapones fiunt; ex mercurio et ſulphure, aethiops et cinnabaris.

Voluminis illa mirabilis mutatio, ex mixtione metallorum oriunda, quam accuratius nuperrime inueſtigauit Ill. Kaestnervs, academiae noſtae ornamentum inſigne, non pertinet ad ſcopum meum. Satis vero ſuperque phaenomena chymica teſtantur, ſimplicem corporum mixtionem largiri varia producta, et vnum corpus ſic mutare nonnunquam alterum, vt oriatur nouum quoddam corpus, qualitate

ac

ac viribus illis toto coelo diſſimile, ex quibus vnitis ſurrexit.

Neſcio, quae fuerit ratio, vt exempla illa memorabilia effugerent medicorum attentionem, cum docere potuiſſent, ſimplici mixtione ſummae efficacia medicamenta obtineri.

Proſtant in officinis ſelecta quaedam compoſita, quorum eximia virtus vtique laudes meretur. Occurrunt paſſim in libris medicorum formulae, quae omnino ſelectae ſunt et frequenter in vſum vocandae. Si verum fateri licet, omni ſtudio medici indagare deberent mixtiones illas: quae pollicentur vim et efficaciam in artis exercitio haud exiguum, vel repetitis iamiam experimentis hanc ſaepius probarunt.

Remedia ex paucis mixta, quae ſelectiora dici merentur, et in officinis aſſeruantur, ſunt exempli loco, acetum ſquillae, rutae, oxymel ſimplex, ſquillae, allii, colchici, ab oxymelle ſquillae, parum diuerſum, ſulphur antimonii auratum liquidum, acida dulcificata, vinum antimonii Hvxhami, liquor cornu cerui ſuccinatus, elixir ex oleo vitrioli, et ſpiritu vini, flores ſalis ammoniaci martiales, remedia Goulardi ex plumbo varia, vſibus externis deſtinata etc.

Sed ineptis compoſitionibus adnumerare nullus dubito, regulos ex antimonio omnis generis et STAHLII crocos martis, eius puluerem temperantem, reſoluentem, ſcammonii et aloës correctiones, famoſam pulueris ſtomachici compoſitionem ex matre perlarum, limatura martis et radice ari, (ſpeciem gypſi potius, quam medicamenti ſelecti appellare mallem) et mille alias compoſitiones, quas ingenii magis luxuries excogitauit. quam ſana ratio dictauit. Compendium nobis fecit Ill. SPIELMANN, qui ſtudio recenſuit et diiudicauit in libro materiae medicae, iuſtum pretium formularum medicamentorum, ab omni retro tempore ad noſtra vsque in officinis proſtantium, quorum vix centeſima pars aſſeruari meretur.

Ex longo iam tempore in votis habui, vt medici ſelectas mixtiones medicamentorum ſibi cognitas redderent, eas inprimis, quarum efficaciam ſingularem in morbis medendis, exercitatiſſimi in arte noſtra viri multoties experti iamiam, et quarum notitiam communicarunt nobiscum ſincero animo.

Ea intelligo remedia mixta ſelecta, quae aut chemica operatione, non multum laborioſa, parantur, aut ſolummodo ſola mixtione ex tempore ſtatim obtinentur. De ſingulis nunc dicam ſeorſim.

Ab

Ab antiquiſſimis retro temporibus Aloe, Myrrha et Crocus mixta fuerunt. Conſtituunt haec varia forma, modo ſpeciem elixirii, modo pilularum. Nimis prolixum foret, ſi omnes formulas, quae in diſpenſatoriis occurrunt, enarrare vellem, quarum baſin haec ſimplicia ſiſtunt. Sufficit itaque nominaſſe paucas, vbi remedia illa vel ſola, vel vna cum aliis admixtis, plerumque ſuperfluis, polychreſtum quoddam medicamentum, calefaciens, ac commouens efficiunt, quod iuſto tempore datum, minime contemnendum eſt, licet contra peſtem laudare nolim. Sunt vero formulae illae: Pilulae Rvffi, peſtilentiales Avicennae, Thom. Reinesii, Aloephanginae, Ecphraticae, Emanuelis, ſtomachicae Mortoni, Edinburgenſium, immo variorum auctorum, de ammoniaco chalybeatae, Elixiria ſic dicta proprietatis, Paracelsi, Helmontii, Boerhaavii, Diſp. Viennenſ. Würtemb. Hamburg. Pharmacop. *Bateanae*, Elixirium cacheclicum Ettmüller, Pneumoniacum Meibomii. Si vnquam antiquitas mixtionem commendat, haec ſane commendata fuit diu, et retinenda quoque videtur, modo ſibi caueant iuniores medici, ne noceat magis abuſus, quam iuuat vſus rectus, nec promiſcue adhibeant, plethora praeſente, immo nolint propinare, vbi motuum potius exceſſus, quam defectus adeſt.

Summus Boerhaavivs in miſcendis medicamentis, quibus ineſt vis remedialis, ſummus exſtitit artifex, et doctiſſimis diſcipulis, Gavbiis, Gorteris, Swietteniis, anglis multis, fideliter inſtillauit praecepta miſcendorum medicamentorum. Si angli hodie eminent in arte praeſcribendi formulas ſelectas, cogitemus ſemper, haec bona debere praeceptis et inſtitutioni b. Boerhaavii. Saepe etiam b. noſter Hoffmannvs maxime ſelectas compoſitiones docuit, quanquam ille in acutis morbis non aeque felici ſidere attigerit Graecorum exemplar ac Boerhaavivs. Norunt auditores mei, placere mihi non paucas Störckii formulas, vel eam ob cauſſam, quod ad mentem Boerhaavii concinnatae ſunt.

Boerhaavio autem debemus multas compoſitiones ſimplices, quibus ego carere nolim, ipſe peritia edoctus, quam ſaluberrima ſit illarum virtus. Sunt vero eius generis ſimplex mixtio (non diffuſa, ſicut aliis placuit) gummi ammoniaci cum ſapone, ſquilla, extractis variis; pilulae Tissoti ex gummi ammoniaco, ſapone, extracto taraxaci, et Syr. Capill. veneris (ego ſumo ana, et Syr. aurantior.) quae magis mererentur *aureae* dici, quam centum aliae compoſitiones inanes. Eadem formula frequenter vſus eſt b. Lvdwigivs,

ivs, et ſumſit ille loco extracti taraxaci extractum ſumariae. Quam polychreſta medicina ſit haec pilularum compoſitio, norunt omnes, qui ex doctrina pathologica non ignorant morborum ex hypochondriis origines, et multitudinem morborum, qui a viſcido glutinoſo, vt vocat b. Boerhaavivs oriri poſſunt. Fit magis compoſita formula, ſi additur ſquilla, aut millepedum puluis, extractis bonae notae, e quibus placet extractum illud Enulae, quod in aſthmate pituitoſo prae caeteris ſeſe commendat.

In morbis hydropicis, chronicis febribus intermittentibus, ictero, menſium, haemorrhoidum obſtructione, eius generis medicamenta mixta mirifice proſunt reſoluendo humores viſcidos et viſcerum obſtructiones. Gummi ammoniacum non ſolum conſtituit cum ſimilibus modo laudatis pharmacis, ingrediens optimum non vnius formulae officinalis pilularum, ſed et nuperrime Edinburgenſes ex ſolo gummi ammoniaco et ſquilla, reſoluentes pilulas praeſcribunt, quibus additur Cardamomum tanquam corrigens, et Balſ. Copaiu. tanquam excipiens.

Gummi ammoniacum vna cum ſquilla in eadem formula occurrit in potione aſthmatica Brvnneri, quam nuperi magis emendarunt, et ſimplicem magis mixtionem diffuſiori

ame-

anteponendam eſſe docuerunt. Optime placet Londinenſium Lac ammoniaci ex ſolo gummi ammoniaco et aqua pulegii, terendo paratum, cui poteſt addi oxymel ſquillae. Efficaciam huius medicamenti multoties expertus ſum. Linctus forma, infantibus in dicta ſic oppletione pectoris, catarrhi ſuffocatiui metu, optime conducit oxymel ſquillae mixtum ſiue cum manna, ſiue cum Syrupo e Cichorio cum rheo. Sed cum formula officinalis Syrupi e Cichorio mihi nimis compoſita videretur, ſuperflua omnia omiſi, et ex ſolo ſucco Cichorii, Taraxaci et Fumariae, Syrupum parari iubeo, cui ex tempore ſtatim rhabarbarum addo, nam virtus eius coctione perit.

Adultis etiam hominibus ſaepe linctum ex gummi ammoniaco, diluto oxymelle ſquillae, ſoleo praeſcribere, cum ſputa in variis morbis nimis viſcida ſunt attenuanda, et muci facilior excretio adiuuanda.

Alia linctus egregii ſpecies oritur ex mixtione oxymellis cum ſulphure antimonii aurato, vel kermes minerali. Laudatae mixtiones magis placent, quam inepta illa compoſitio ex oleo amygdalarum, ſpermate ceti aliisque, quippe quae medicina rancida ventriculum turbat, et in acutis morbis nocet magis quam prodeſt.

Gummi

Gummi ammoniacum et reliqua ferulacea, ım aſſa foetida, ſale volatili cornu cerui, el ſuccini, optime depuratis, Caſtoreo, exacto chamomillae, millefolii, myrrha, oleo iaputi, rutae, ſimilibusque, pilularum ſpeiem ſiſtunt, qualem amant BOERHAAIVS, HOFFMANNVS, FVLLERVS, autores Pharmacop. Londin. et quarum efficaa mira eſt in permultis morbis chronicis, pasmis et neruorum affectionibus compeſcendis.

Emendata formula pilularum BONTII in ydrope, ex gummi ammoniaco, gummi utta, aloes gummoſo extracto, et oleo quoiam aromatico, ſatisfacit optime ſcopo.

Concinna eſt formula, quam a b. LVOLFO didici, pilularum, quas phyſagogas lle inſcripſit, ex ſquilla, ſulphure antimonii urato, ſale volatili ſuccini, Elaterio, et oleo niſi, componendarum, et quarum efficaciam n hydrope rebelli ſaepe admiratus ſum. Viſcera debent eſſe adhuc integra, nullaque praeſente contraindicatione, quae vſum interdiceret, minori doſi incipiendo, illamque tunc ad grana decem, immo nonnunquam plura, augendo, aquas pellunt viſcidas, quas egregie attenuat, et modo per aluum, modo per vias vrinae euacuant.

Qui recte didicit artis noſtrae praecepta, is nocebit nunquam aegrotis, nec vſu etiam medicinae

dicinae efficacis, modo minima doſi veli exhibere aegrotis ſuis illam, medicus cautus quam augebit prudens, ſi minor non ſuffi cere videtur.

Forma diluta ſic mutat maxime efficacia medicamenta, vt tuto exhiberi queant, et doſi tunc facile limitanda, quam repetitis praebiis commode ſatis eo vsque augere poſſumus, vt ſalutaris effectus obtineatur. Si quis addubitaret, linctum ex oxymelle ſquillitico et ſulphure antimonii aurato propinare, tum aliquot vnciae aquae cuiusdam deſtillatae diluunt illud efficax remedium, vt nunc facile aliquot cochlearia poſſit aſſumere aegrotus absque metu vomitus vehementioris. Eam ob cauſſam familiaris eſt mihi vſus tartari emetici, ſulphuris aurati antimonii, forma potionis, et ipecacuanhae forma infuſi.

Tenellis adhuc granum vnicum tartari emetici ex vnciis quatuor aquae meliſſae, vel ſimilis, partitis vicibus commode ſatis propinari poteſt, ſine omni metu effectus noxii; vomitu ſcilicet eiecta materia turpi abſtinendum eſt ſtatim ab vſu huius potionis, cuius doſis vnica eſt paruum cochlear, donec vomitus oriatur, continuanda.

Infuſum ex ipecacuanha parare docuit Carolvs Gianella, quod in febribus intermitten-

ittentibus et remittentibus inuenit ſaluberri-
ium. Eius formulam paulisper mutauit
erill. HALLERVS. Sumatur ſcilicet ipe-
acuanha, cortex aurant. et cremor tartari,
im aqua feruida ebulliant, colaturae admiſcea-
ır portio oxymellis ſquillitici. Simili medica-
iento frequenter vſus ſum in febre epidemica,
nae nuper deuaſtauit Germaniam, cum ſa-
ırrae copia in primis viis collecta, morbi
uſſam materialem conſtitueret, qua eiecta
atim febrim remittere, et vires iterum re-
ocillari obſeruatum fuit.

Plus vna vice obſeruaui, exanthemata va-
a in cute apparentia, ex impura bilis collu-
ie orta, cum euphoria euaneſcere, cum huius
otionis aliquot praebia darem aegrotis curae
ıeae demandatis, licet graui iamiam ſopore
orrepti vehementer aegrotarent.

Euacuandi ſcopo liberali vſu cremorem tar-
ıri exhibere conſueuerunt medici, isque con-
ıituit princeps iuuans, quod aliis purgantibus
olet addi, maxime vero tamarindis, caſſiae,
nannae, rheo, radici ialappae, varia forma.

Optimum digeſtiuum ſiſtit cremor tartari
um rheo, et delicatioris conditionis homini-
us rheum cum tartaro tartariſato nunc fre-
uenter ſolet praeſcribi.

Miri-

Mirifice placet compoſitio pulueris, quem b. KLEINIVS vocat *Solamen hypochondriacorum*, ex rheo, tartaro tartariſato, flauedine corticum *aurantiorum*, cui nonnunquam addi ſolet oleum caiaputi. Pluribus enim indicationibus ſimul ſatisfacit, pituitam nempe incidit, abſtergit, inteſtina purgat, ſaburram deſtruit, ſpasmis ac flatibus et inteſtinorum debilitati medetur, ac ſymptomata ex conſenſu orta varia, compeſcit. Huius pulueris vſus eſt mihi admodum familiaris, non minus quam elixirii illius viſceralis HOFFMANNI a KLEINIO emendati.

Conuenit cum remediis nunc allegatis mixtio illa, quam merito magni fecit b. HOFFMANNVS, ſcilicet extracti ex rheo aquoſi et terrae foliatae tartari, quae in permultis morbis chronicis et viſcerum obſtructione ſeſe toties commendauit medicis.

Simile medicamentum, quod primum debemus Ill. MVZELIO, eſt tartari tartariſati cum melle mixtio, in melancholia hypochondriaca, morbisque ab atrabile natis vtiliſſimum medicamentum.

Non inepte aliquando in atrophia infantum et febre lenta decoctum corticis peruuiani, vel eius extractum aquoſum miſcetur cum melle et

et tartaro tartariſato, et copioſe exhibitur cum euphoria.

In morbis chronicis arthriticis Ellervs in Obſſ. p. 127 recte laudat liquorem, mixtum, ex aequali portione liquoris optimi cornu cerui ſuccinati et anodyni mineralis Hoffmanni, eiusque virtus omnino eſt polychreſta in multis generibus morborum ſpasmodicorum chronicorum.

Quis recentiorum non cognouit eximiam vim potionis Mindereri, quae ſimpliciſſima ratione paratur ex aceto vini puriori et puro ſale volatili, ſiue ſalis ammoniaci, ſiue cornu cerui. Sane mira eius vis eſt in febribus putridis et malignis dictis, praeſente magna virium debilitate. Mel additur ad ſaporem medicamenti corrigendum, et tanquam iuuans ſic dictum.

Potio illa vel Riverii vel Crollii contra febres intermittentes laudata, ſaepe praeſtat. Placet aliis acidum vegetabile, minerale aliis, cum alcali miſcendum, et in ipſo temporis momento, quo haec efferueſcunt, deglutienda eſt hauſtus forma, nam ſenſatio illa, qua momento efferueſcentiae afficere ſolet ventriculum eiusque fibras muſculares et neruos, feliciter ſaepe febris paroxyſmum profligauit.

Laudat in hydrope a cauſſa biloſa TISSOTVS, (in qua ſpecie nocerent draſtica et ſtimulantia omnia), aquam cryſtallinam. Sic autem paratur. Coquitur cum aqua fontana portio cryſtallorum tartari, admiſcetur refrigerata iterum aqua acidum quoddam aliud vegetabile, palato gratum, ſiue Succus Citri, ſiue Syrupus Rubi Idaei, Berberis, vt ex duplici acido compoſita ſit haec medicina, temperans aeſtum et bilem, quae per vias vrinae, nonnunquam per aluum, placide ſordes eliminat, et in aliis morbis aeque vtilis ac decoctum tamarindorum et cremoris tartari.

HOFFMANNO debemus notitiam remediorum quorundam, phthiſicis maxime ſalubrium, ſcilicet vſum aquae Selteranae cum lacte miſcendae, et ſacchari myrrhati.

Hodie loco ſacchari vulgaris eligitur ſaccharum lactis, illique additur bonae notae extractum myrrhae aquoſum.

Aluminis draconiſati, cuius iam fit mentio apud MYNSICHTVM, vſum reſtituit ill. CRANZIVS, in compeſcenda vteri haemorrhagia, ſed in mictu cruento nonnunquam aeque efficax eſt.

Tanquam adſtringens eximium laudat b. MÜLLERVS *in not.* ad RICHARDI MEAD *monit.*

monit. ſolutionem aluminis vitriolatam. Solui-tur nempe in aqua feruente alumen, et ſucceſſiue ad ſaporem vsque manifeſte adſtringentem inſtillatur aliqua portio acidi vitrioli, vt ſcilicet augeatur proportio acidi, cum terra aluminis vniendi, et hac ratione aluminis vis ipſa adſtringens. De vſu eximio huius remedii legi meretur auctor laudatus loco allegato.

Ad alia progredior minus compoſita medicamenta, maxime efficacia, hodieque ab omnibus laudata. Sit primum *puluis alterans* vulgo PLVMMERI dictus, ex aequali portione mercurii dulcis, et ſulphuris antimonii aurati, longa trituratione optime in ſubtiliſſimum pulverem conuerſis, cuius compoſitio in *Act. med. Edinburg.* euulgata. Vſum huius remedii compoſiti non eſſe nouum, ſed in SCVLTETI obſſ. vltima, quae eſt centeſima, iamiam ſimile remedium laudari, monuit b. SCHVLZIVS, in diſſ. de *mercurialium vſu in quartana*, recuſa in collect. pract. Perill. HALLERI T. V. §. 19. pag. 112. SCVLTETVS autem l. c. hiſtoriam leproſi, ſed non accurate ſatis deſcriptam, narrat, cui dedit pilulas purgantes ex mercurio dulci pro vna doſi, et deinde pulueris forma ſulphur antimonii, cum decocti ſaſſafras hauſtu et regimine ſudorifero,

Si quis velit *Actor. med. Edinb.* ſpecimen a WERLHOFIO editum, et T. I. *Tentam.* Edinb. edit. germ. p. 52. euoluere, inueniet ſtatim, SCVLTETI remedium non eſſe vnum idemque, quod ſeriori tempore PLVMMERVS parare docuit; immo nec doſis nec adhibendi modus conueniunt cum SCVLTETI methodo, vt itaque PLVMMERO laus maneat, inueniſſe eum illud eximium et efficax remedium.

Simile fere medicamentum metallicum eſt mercurius dulcis martiatus, quem inuentor, Exc. HARTMANN in acad. Viadrina Prof. Med. nuper in diſſ. ſingulari nobiscum communicauit. Paratur, vt paucis dicam, ex reſiduo poſt ſublimationem florum ſalis ammoniaci martialium, ex lapide haematite et ſale ammoniaco, cui reſiduo admiſcetur mercurius dulcis, et noua inſtituitur ſublimatio, quae mercurium dulcem, marte vnitum largitur. Iam olim de mercurii et martis coniunctione, vſibus practicis commendanda, ſcripſerat integram diſſ. Exc. HARTMANN, ac in nupera diſſertatione aliquot obſeruationibus propriis, egregiam efficaciam huius remedii in variis morbis confirmauit, quod et ego nuper in collegio clinico praeſcribere coepi, ſed nondum adeo frequenter, vt poſſim nouas illis iam cognitis addere obſeruationes.

Exc.

Exc. Plenckivs aliis rationibus permotus, mercurium absque ſalibus in morbis venereis magis tutum eſſe cenſuit, cum mucilagine ſubactum.

Saliuam poſt vſum huius remedii nonnunquam admodum copioſe exſpui, ipſe aliquoties expertus ſum. Quanquam vero id negari non poſſit, connubium illud tamen laudari meretur, et optimo conſilio laudatus Exc. Hartmann hunc Plenckii liquorem contra lumbricos rotundos commendat. Fortáſſis in ileo, vbi alias mercurius viuus laudatur, reliquis mercurium exhibendi modis praeferendus foret ille Plenckii. Spiritus mercurialis Swietenii, vitrum antimonii ceratum, luculento teſtimonio nos conuincere poſſunt, per mixtionem ſimpliciſſimam vim venenatam corporum quorundam ſic poſſe mutari, vt oriatur medicamenti ſpecies, cuius iuſta doſis tuto poteſt exhiberi, magnis mortalium vſibus.

Nec deſunt exempla his contraria, ſcilicet venenata et noxia qualitas, ex compoſitione non admodum diffuſa aliquot ſimplicium. Puluerem famoſum et infamem *Cornachini* huc referendum eſſe audacter affirmo, illumque adhibere ſuaderem nemini.

In dies nunc magis conſentiunt omnes, Laudanum illud SYDENHAMI, viri magni, non ſatis concinnam eſſe compoſitionem. Decipi paſſus eſt princeps medicorum, veterum opinione, opium eſſe medicamentum frigidum, cui aromata calidiora addenda, quibus corrigere cogitauit opii qualitatem illam, quam non poſſidet.

Longe rarius nunc praeſcribitur SYDENHAMI laudanum liquidum, et recte opium ſolum iuſta doſi, ſine omni addito alio medicamento, forma hauſtus potiſſimum, aegrotis exhiberi conſueuit.

Decoctum illud album SYDENHAMI, olim ex cornu cerui vſto paratum, nunc forma magis ſimplici et emendata parandum ex cornu cerui raſpato, gummi arabico puriſſimo, et cruſta panis ſimilaginei, optimum eſt omnium medicamentorum demulcens omnem acrimoniam bilioſam, imo aliam in tubo cibario cellectam, optime inuoluens, vt reliquis facile poſſimus carere.

Decoctum radicis altheae, cui larga additur portio ſyrupi eiusdem radicis, vel oxymel ſimplex, ſimile largitur egregium medicamentum polychreſtum in morbis acutis et chronicis.

Ptiſanae

Ptiſanae ſimplicis ex hordeo ſolo, cremore tartari et oxymelle ſimplici, ad ſanandas febres acutas, laudes eximias ſubſcripſere nunc principes in arte noſtra viri.

Contraria medicamenta ſaepiſſime optimo conſilio miſcentur *a*). Quaedam ex multis exemplis adducam.

Contrariam medicinam ſludio miſcuit Plvmmervs, de cuius puluere iam ſermo fuit. Pertinet huc decoctum b. Io. Ivnckero admodum familiare in angina, vbi faucium inflammatio, laxitas et muci colluvies aderant, decoctum ſcilicet quoddam ex emollientibus et adſtringentibus compoſitum, pro gargarismate, quod optime faucibus laborantibus medetur. Adſtringentia heroica, quae ſola exhibita nocerent, mitiora euadunt, ſi combinantur cum emollientibus mucilaginoſis, et ſubſtantiae mucilaginoſae ac pingues ſunt ſaepius optima corrigentia medicamentorum, quae ſimplici forma noxia forent. Draſticam vim reſinae ialappae mitigat vitellum oui, item emulſio ex amygdalis, ſimul cum reſina illa terendis. Diu iamiam linimentum ophthalmicum ex alumine et mucilaginis ſpecie, in vſu fuit. Ad idem

a) Iterum atque iterum commendo lectu digniſſimam diſſ. b. Lvdwigii, de medicamentorum contrariorum compoſitione. Lipſ. 1758.

idem caput pertinet denique mixtio purgantium cum emteicis, euacuantium cum opio, immo corticis peruuiani cum opio, de quibus nunc ſermo eſto.

Eſt in ſingulis his contraria mixtio, quam magni faciunt obſeruatores. De vſu rhabarbari et ipecacuanhae, quae mixta, doſi parca, exhiberi ſolent, alibi iam praecipua monui *b*).

Temerariam tamen methodum non laudo, noceret enim eo in caſu, vbi vna vice ſimul eiici deberet turpis hoſtis ex primis viis, noceret nimis diu continuata haec medicina, quae vires valde conſumeret, et labefactaret aegrotum praepoſtere adhibita. Ipecacuanham cum opio mixtam legimus in formula pulueris Doweri, angli, et vim omnem emeticum amittit ipecacuanha in hac compoſitione: ſed vis reſoluens ac diaphoretica, quam eximia ſit, non ſemel, ſed aliquoties ipſe expertus affirmare poſſum.

Mirati ſunt omnino nonnulli, cum legerent, laudari connubium corticis peruuiani cum opio, vel cum rhabarbaro. Putarunt enim, vim omnem corticis peruuiani ab his remediis additis deſtrui. Sed ablegamus breuitatis cauſſa lectores noſtros ad eximium Trallesii opus de opii viribus, qui aucto-

rum

b) In altera editione libri, de militum morbis.

rum teſtimoniis ſatis validis euicit, praeſtare omnino ad ſanandas febres intermittentes receſſes, cortici peruuiano addere opium.

Corticem vero vna cum rheo febribus intermittentibus non raro eximie mederi optime docuit VALCARENGHI *c*). Hoc medicamentum adeo efficax inuenit RICHARDVS MEAD *d*), vt illud commendare non dubitaret. Quin immo nuperrime huius compoſitionis praeſtantia nouis obſeruationibus confirmata legitur *e*). Tantum enim abeſt, vt rhabarbarum imminuat vim corticis antifebrilem, vt obſeruatum ſit potius, augeri per illud. In morbis chronicis, cachecticis, varia martis connubia cum cortice peruuiano, forma infuſi, elexirii, optimum ſunt roborans, et neſcio medicamentum, quod palmam praeriperet elixirio ROBERTI WHYTT, ex cortice peruuiano, flauedine corticum aurantiorum et radice gentianae rubrae, parato, quod in malo hypochondriaco, tanquam roborans optimum longo rerum vſu inuenit.

Si pilulae deſiderantur roborantes, compoſitio mihi placet, quae recipit extractum

D 5 caſca-

c) VALCARENGHI, Paolo, dell uſo ed abuſo del Rhabarbaro unita alla China, Cremona 1749. 4[t].

d) In monit. et praecept.

e) Vid. Exc. KEMME et IO. GOTTL. TRALLES diſſ. ſiſt. obſſ. med. pract. Hal. 1773.

caſcarillae, gentianae rubrae radicis, limaturam martis, ex quibus cum ſyrupo aurantiorum fiant pilulae, doſi facile limitanda exhibendae.

Cortex peruuianus cum ſale ammoniaco, in puluere, eſt medicamentum aeque efficax ac notum ad debellandam et expugnandam febrim intermittentem. Cortex et myrrha, vel cortex et alumen in decocto, Electuarium ex cortice peruuiano et flauedine florum chamomillae Hoffmanni, cortex peruuianus cum cinnamomo, vel in puluere, vel in decocto, Werlhofii, ſummas merentur laudes, in febre intermittente, non ſecus ac cortex cum camphora vel cum ſerpentaria, tam interne, quam externe adhibenda in febribus putridiset malignis.

In epilepſia electuarium ex cortice peruviano et radice valeriana ſylueſtri, magni fecit Fvllervs, et in epilepſia quae a vermibus orta eſt, vel a nimia neruorum ſenſibilitate, ſolatium promittit.

Delicatulis corticem dedi ſaepius cum ſyrupo aurantiorum vel ſyrupo rubi idaei, forma electuarii mollis, et alii aliquam copiam ſyrupi cinnamomi addere ſolent.

Innotuit nuper vis foliorum aurantiorum contra epilepſiam, in decocto, cui recte nunc addunt

ddunt alii ſimul valerianam ſylueſtrem, quam nimis laudibus extollit HILL.

Alibi iamiam dixi, infuſum corticis peruiani cum aqua calcis viuae paratum, item decoctum eius cum lacte bibendum, magnam habere vim in ſanandis morbis chronicis.

STOERCKIVS ſucco conii maculati leni igne inſpiſſato, nunc ipſe iubet addere corticem peruuianum, tanquam optimum corrigens. Idem noſtra aetate celeberrimus medicus, electuarium anthelminticum miſcet ex radice valerianae ſylueſtris, ialappae, ſale polychreſto Glaſeri, conſerua naſturtii aquatici, fumariae, oxymelle ſquillae, vel ſyrupo fumariae, cuius in expellendis lumbricis rotundis et aſcaridibus vim eximiam ſaepius in collegio clinico experimur, et quod per annos quatuor et dimidium, cum Longoſaliſſae medicinam facerem, optimo euentu quotidie propinare iuſſi verminoſis infantibus.

Clyſma ex decocto corticis et camphora in oleo amygdalarum ſoluta, vel cum paucis guttulis ſpiritus vini, aliquoties epilepſiam verminoſam cum vermium copioſa excretione ſanauit.

In angina diſcutienda certe PRINGLII linimentum ex oleo oliuarum et ſpiritu cornu cerui, praeſtat omnibus aliis.

De

De camphorae mixtionibus alio tempore nonnulla ſcripſi, ſed ſummam eorum hic repetere paucis, ab inſtituto meo non alienum videtur.

Camphora aliis remediis, tam internis, quam externis admixta, vim antidoti prodit, et infringit draſticam medicamentorum operationem, vt nunc tutius longe agant, quam ſola adplicata. Eam ob cauſſam GROENEVELT cantharidibus interne adhibendis, tanquam corrigens addidit camphoram, et emplaſtris pro veſicatorio nunc omnes adſpergunt camphoram, ne oriatur veſicae tenesmus, renum et veſicae dolor, vel vrinae obſtructio et mictus cruentus.

Turpethum, venenum illud draſticum, camphora pariter domat, vt viri ſummi in terris Batauis et WERLHOFIVS noſter non dubitauerint, circumſpecte tamen, illud in vſum vocare pilularum forma. Camphoram, cum mercurio mixtam in morbis venereis mira praeſtare, nonnulli perhibent. Dedit QVENCY in puluere mercurium dulcem cum camphora interne, in pilulis ROSENSTEINIVS, et MISSA laudat externum vſum vnguenti mercurialis cum camphora, in morbis venereis.

Camphora denique pro vſu interno aeque ac externo, in oleo recenter preſſo ſoluta, diu medi-

edicis familiare fuit medicamentum. Ace-m camphoratum in febribus, putridis atque alignis, antiquum ſatis et diu notum eſt me-camentum. Aeque notum eſt, Cel. HOFF-ANN et Cl. IACOBI commendare mercu-um ſublimatum forma pilularum, ſimplici atione conficiendarum, ſoluendo ſcilicet mer-urium ſublimatum in aqua fontana, et ad-endo micam panis ſimilaginei. Docent illi, onatum vomendi, quem ſaepius obſeruaui-nus ab vſu ſolutionis *Swietenianae*, quemque riri dicunt a ſpiritu frumenti, ſic optime raeuerti.

Plura longe potuiſſem exempla adducere, quibus conſtitit, optimam medicamentorum mixtionem illam eſſe, quae pauca, quae effi-cacia, quae ſelecta recipit pharmaca. Conſi-lio alienis magis exemplis doctorum virorum, argumentum meum corrobare volui, quam formulis meis, quibus frequenter vtor, ne fie-rem praeco domeſticae meae inſtitutionis, cuius aliquot ſpecimina ſuo tempore typis exſcribi curabo. Morbi remediis ſanantur, et ſelectis atque probatis carere non poteſt medicus in artis exercitio.

Famae conſulere iuniores medicos, ſi vtan-tur remediis, quae tuta ſunt, et quorum effi-caciam ſummi viri albo notarunt calculo, vix eſt, quod moneam.

Sed

Sed crumenae etiam aegrotorum, in chro- nicis morbis inprimis, ratio habenda eſt, ne omnes aegroti pharmacomania laborant, vt eo magis ſit opus, ſelecta et minus compoſita medicamenta medicus ſibi reddat cognita, illa- que prae illis magis pretioſis, frequentius ad- hibeat.

III.

PROGRAMMA,
VESTIGIA IRRITABILITATIS HALLERIANAE, IN VETERVM MONIMENTIS, EXEMPLO CALIDI INNATI.

D. XXV. OCT. MDCCLXXV.

In eo conſentiunt docti viri, hiſtoriam dogmatum doctrinarum et artium ſcitu eſſe iucundam, vtilem, immo maxime neceſſariam. Vix enim docti viri nomen meretur, nec dignitatem tueri poteſt iure, qui dogmatum fata per tot ſecula ignorat. Delectat mirifice animum, ſcire doctrinarum origines et incrementum. Iuuat denique non parum cognitionem noſtram veri et falſi, intelligere tot viciſſitudines dogmatum ab antiquiſſimis temporibus ad noſtra vsque. Longe facilius enim facta comparatione dogmatum apparet, quid recentiorum induſtria emendatum ſit in theoria artis cuiusdam, et non raro patet quoque, incredibilem fere in modum recentiores conſentire cum veterum doctrina, aut veſtigia ſaltim antiquitatis ſubinde reperiri poſſe doctrinae

nae cuiusdam, quae alias plurium conſenſu noua videtur.

Inde factum eſt, vt nonnulli egregiis ſpecíminibus oſtenderent non ſine admiratione multorum, non pauca recentiorum dogmata ad amuſſim conuenire cum veterum placitis. Vt ex multis vnum ſaltim adducam, ſufficiat nominaſſe b. Hebenstreitivm, cuius doctiſſima *παλαιολογιας* therapiae ſpecimina legiſſe poenitebit neminem Quod mirum quidem videtur, contingit tamen aliquando, obſeruare, recentiores atque veteres circa res abſtruſas conſentire, vbi neutiquam expectaſſet quisquam conſenſum. Illud et mihi iam olim contigiſſe, libenter nunc fateor. Quum enim in ſtudio hiſtoriae dogmatum Phyſiologiae occupatus eſſem, accidit, vt animaduerterem mirum conſenſum eius doctrinae, quae veterum erat de calido innato, cum recentiorum theoria irritabilitatis. Quantum a terra diſtat coelum, tantum primo intuitu calidum innatum veterum a recentiorum irritabilitate differt. Sed accuratius perſpecta theoria calidi illius innati et irritabilitatis, vel vltro patet, rem vnam eandemque veteres ac recentiores intellexiſſe, ac diuerſis ſolummodo vocabulis mentem ſuam aperuiſſe circa abſtruſum illud vitae principium, cuius beneficio viuimus, et quod fons eſt atque origo functionum oeconomiae animalis.

malis. Nolo in praeſenti vniuerſam doctrinam calidi innati veterum hic iterum exponere, quae centies iam iam ab aliis repetita fuit. Sparſim HIPPOCRATES dogmata ſua de calido innato nobiſcum communicauit, et optime quidem in libro περι Καρδιης Opp. ed. LINDENII T. I. p. 289 ſeq. et paſſim L. I. περι Διαιτης ib. p. 179 ſeq. Poſt hunc vero GALENVS variis locis, maxime in libris de vſu partium, de temperamentis et de HIPPOCRATIS ac PLATONIS decretis. Non minus etiam ARISTOTELES, potiſſimum de partibus animalium agens, et aliis locis, huius doctrinae praecipua momenta expoſuit, quam et PLATO in TIMAEO communicauit, vt facile pateat, antiquiſſimam eſſe illam, vt vix definire audeam, quis primus eius fuerit auctor et inuentor. Per aliquot ſecula deinde in ſcholis medicorum viguit, nec a CARTESIO euerſa eiusque aſſeclis, quamquam is fere ſingula veterum dogmata penitus euerteret, ſibique ſoli ſaperet. Turba eorum, qui reliquerunt nobis prolixa illa et inepta ſaepe commentaria in veteres, toties mox ſeorſim, mox in operibus ſyſtematice ſcriptis, doctrinam de calido innato iterum pertractauit, vt ſpecimen hiſtorico-litterarium de libellis illis hic appoſitum, non iniucundum fore nonnullis ſperare poſſim, quamquam fatear, fortaſſis plures ſupereſſe, qui nunquam innotuerunt

runt mihi. Eorum itaque, quae certe ſcio proſtare, catalogum apponam, et iis, quae in mea bibliotheca reperiuntur, aſteriſcum praefigam. Sunt vero ex ordine temporis, qui ſeorſim de calido innato ſcripſerunt, ſequentes:

1566. *Argenterius, Io.* de calido innato. Flor. 1566. 4. Et in Opp. Hanov. 1610. f. *)

1573. *Paparella, Seb.* Libri III de calido. Peruſ. 4. Exſt. in Ei. Opp. Maceratae 1582 f. *)

1580. *d'Oyleyi, Thom.* de calido innato. Baſil. 4.

1581. *Schegk, Iac.* Liber de calido et humido. Arg. 8.
Et in Tr. phyſ. ac med. Frcf. 1585. 12. *)

1583. *Schroeter, Io. Fr.* de natura et orig. calidi innati, theſes. Ien. diſſ. pl. 2.

1586. *Salvianus, Saluſt.* de calore naturali, acquiſititio et febrili L. II. Romae 8. (Eſt in bibl. Gottingenſi).

1595. *Varus, Ant.* diſſ. de innato calido, reſp. *Io. Kesler.* Ienae.

1606. *Horſt, Greg.* exerc. de C. H. 2. de principiis ex quibus partes C. H. conſtituuntur et conſeruantur, vtpote de calido innato, ſpiritibus et humoribus. Gieſſ. r. *Dan. Langius.*

1608.

1608. *Libauius*, *Andr.* diſſ. repetit. lection. anat. de ſpirit. humor. calido innato et fac. hominis. r. *Mich. Libauius.* Ien.

1615. *Merindolus*, *Ant.* de calido innato et de humido primigenio. Lugd. 8. *Douglas* habet edit. Lond. 1655. 8.

1624. *Beckher*, *Dan.* diſſ. de calido innato r. *Caſp. Pruſer.* Regiom. pl. 2½.

1626. *Caimus*, *Pompei.* de calido innato Lib. III. Venet. 4.

Controuerſiam habuit cum *Iul. Caeſ. Lagalla* et *Caeſ. Cremonino.* Contra *Caimum* recentiori aetate libellum edidit *Caſpar Hofmann.* *Caimus* alias *Galeni* aſſecla.

1626. *Hofmann*, *Caſp.* diſſ. de calido innato r. *Io. Georg Pönlein.* 4. *)

1627. *Moebius*, *Iac.* diſquiſitio calidi innati et influentis. Marp. 4.

1627. *Bronzer*, *Io. Henr.* de calido innato et principatu iecoris. Patav. 4.

1627. *Iacchaeus*, *Gilb.* diſſ. de calido innato r. *Herm. Conring.* L. B. 4. *)
Recuſa deinde cum *Conringii* libro eiusdem argumenti.

1629. *Zaffius*, *Nic.* diſſ. de calido innato r. *Seb. Fr. Gaſto.* Vit.

1632. *Freitag*, *Io.* diſp. calidi innati eſſentiam explicans. Gröning. 1632. 8.

1634. *Cremoninus*, *Caeſ.* de calido innato et ſemine. L. B. 12. *)

1640. *Sebiz*, *Io. Alb.* diſſ. de calido innato. Arg. pl. 4.

1641. *Lanckiſch*, *Frid.* diſſ. de calido innato in genere r. *Theoph. Colero.* Lipſ.

1647. *Hofmann*, *Caſp.* exercit. iuueniles contra P. *Caimum*, de calido innato, exſt. c. al. Lutet. 4.

1647. *Conring*, *Herm.* de calido innato ſ. igne vitali, liber vnus. Helmſt. 4. *)

1651. *Poſner*, *Caſp.* diſſ. de calido innato, r. *Flor. Gerſtmann.* Ien.

1651. *Moebius*, *Godofr.* de calido innato, ſeu ſpirituum vitalium et partium organicarum naturali conſtitutione et ſimiliarium ac diſſimilarium communi vnitate. r. *Fr. Hofmann.* Ien.

1653. *Colerus*, *Mart. Clem.* diſſ. de calido innato. r. *Wolfg. Chph. Wenner* pl. 3.

1654. *Leichner*, *Eccard.* pentas exercitat. de calido innato. Frcf. 4. *)

1655. *Rhewendus*, *Chph.* diſſ. de calido innato, r. *Mich. Möllenbeck.* Vit.

1657.

1657. *Amman*, *Paul.* de caloris natiui natura. Lipſ. 4.

1660. *Kirchmaier, Geo. Caſp.* diſſ. de calido innato r. *Io. Hartwig.* Vitemb.

1663. *Mackius*, *Io. Chr.* diſſ. de calido innato. Argent. *)

1663. *Poſner*, *Caſp.* diſſ. de calido innato vero viuentium, cumprimis animal. perfectiorum. r. *Ioach. Geo. Elſner.* Ien. pl. 9.

1663. *Deuſing*, *Ant.* diſquiſ. anti-ſyluiana, de calido innato, et aucto in corde ſanguinis calore. Gröning. 12. *)

1666. *Sperling*, *Io.* tr. de calido innato, pro *Dan. Senerto*, contra *Io. Freitag.* Lipſ. 8. *)

1667. *Hofmann*, *Caſp.* de calido innato et ſpiritibus. Frcf. 4. *)

1667. *Bartholin*, *Th.* et *Iac. Holſt*, de flammula cordis. Hafn. 8. *)

1671. *Helvig*, *Chph.* diſſ. de calido innato r. *Sam. Starck.* Gryph. *)

1672. *Andreae*, *Io. Wilh.* diſſ. de calido innato r. *Io. Bernh Ziegler.*

1674. *Maius*, *Henr.* diſſ. de calido innato et humido radicali r. *Io. Gerh. Mirther.* Marp.

1675. *Rolfink*, *Guern.* diſſ. de calido innato r. *Henr. Io. Friderich.* Ien.

1678. *Tack*, *Ludw. Chriſt.* diſſ. de calido innato r. *Kalckbrenner.* Gieſſ.

1681. *Pauli*, *Mich.* diſſ. de calido innato ſ. ſpiritu corporis vitali. Baſil. *)

1700. *Schellhammer*, *Gunther. Chph.* diſſ. de temperam. et calido innato. r. *Chriſt. Vlr. Schreiber.* Kil. pl. 1½.

1758. *Müller*, *Gerh. Andr.* diſſ. de calido innato veterum, cogitationes nouae. r. *Chph. Grüninger.* Gieſſ. *)

Praeter libellos recenſitos doctrina de calido innato inſerta legitur in variorum operibus, e quibus, cum omnes non poſſim allegare, ſequentes nominaſſe ſufficiat.

Io. Riolan, in Ei Opp. commentat. ad *Fernel* de ſpiritu et calido Pariſ. 1610. f.

Laz. Riuer. in Inſtitut. med. Hag. Com. 1657. 8. *) p. 53. ſeq.

Dan. Sennert, in Inſt. med Vit. 1644. 4. *) Lib. I. Cap. V. p. 32. ſeq.

Idem: de chymicor. cum Ariſt. et Galen. conſenſu. Vit. 1619. 8.

Aemil. Pariſan. in P. 2. nobil. exercitat. de ſubtilit. Venet. 1623, 1635. f.

Caſp.

Caſp. Hofmann, Inſtitut. med. Lugd. 1645. 4. *) L. II. Cap. 52. §. 11. p. 120. Cap. 148 et Cap 149. breuiter.

Greg. Horſt, in Opp. T. I. Goudae 1661. 4. *) p. 19 prolixe.

Henr. Regii, medicin. et prax. reg. ed. tert. Trai. 1668. 4. *) p. 19.

Alb. Kyper, Anthropolog. L. B. 1660. 4. *) L. II. Cap. IV.

Paſſim etiam calidi innati fit mentio in Io. Ant. Van Der Linden, exercitat. Hippocrat. de circuitu ſanguinis L. B. 1659. ſeq. et Th. Bartholini libello de luce hominum ac brutorum. Hafn. 1669. 8. *) Sed omnium optime doctiſſimus ille aeui ſui Franciscvs Valleriola in Loc. med. commun. Lugd. 1604. 8. *) L. I. Cap. XV epitomen vniverſae huius doctrinae veterum dedit, horumque praecipua loca, quae huc pertinent, collegit atque concinne ſatis diſpoſuit, immo breuem conſpectum exhibuit, poſterisque otium fecit.

Breuiter denique in opere immortali Phyſiologico Hallervs noſter, T. II. p. 286. aliqua momenta tradidit, et pro more ſuo, diiudicauit doctiſſime.

Mitto nunc veſtigia irritabilitatis in veterum monimentis, quae Cl. Van Den Bos

 alibi

alibi *a*) inueniſſe credidit, et ſolam nunc contemplar calidi innati doctrinam breuiter atque ſtrictim. Solus, quantum ego quidem ſcio, Cl. Lamb. Bikker *b*) annotauit, ἐνορμον Hippocratis, calidum innatum Galeni, Archeum Helmontii, animam ſenſitiuam, flammulam vitalem, ſpirituum doctrinam, oſtendere, obſcuram ſaltim veteres habuiſſe irritabilitatis ideam, ſed non placuit viro doctiſſimo, hanc ſententiam ſuam argumentis illuſtrare et corroborare, vt eius veritas inde ſatis eluceſcat. Itaque mecum decreui, nunc argumenta illa exponere, quae niſi omnia me fallunt, ſententiam illam, ſi non prorſus demonſtrant, ſaltim admodum probabilem reddunt, per calidum innatum eandem vim intellexiſſe veteres vitalem, quam poſterior aetas irritabilitatem appellare conſueuit, ideoque non absque ratione a me affirmatum fuiſſe, veſtigia irritabilitatis in veterum monimentis reperiri. Quod vt ſummatim fiat, e re mea eſſe credidi, hic praecipua dogmata irritabilitatis ſeorſim exponere, atque cum illis comparare dogmata de calido innato veterum. Sit itaque

THE-

a) Diſſ. de viuis humani corporis ſolidis L. B. 1757. §. IX. ex veterum Poetarum ſcriptis potiſſimum collegit varia.

b) In diſſ. de natura humana, quae medicorum eſt. L. B. 1757. §. 30.

THESIS I.

Cor in foetu primum omnium partium apparet, ſtatim pulſat, primum viuit, vltimo moritur.

Hanc ſententiam tot experimentis et obſervationibus corroborauit HALLERVS noſter atque muniuit in opere *Phyſ.* in *Opp. min.*; in libro *de pullo in ouo incubato*, aliisque circa irritabilitatem editis ſcriptis, vt inter dogmata phyſiologica nunc quidem princeps ſit, atque vnum ex illis, de quibus nullum ſupereſt dubium veritatis, quorum pauca ſunt omnino. Quamprimum apparent futuri animalis rudimenta, ſeu vt ait HALLERVS, Vir ſummus, ex ſtatu inuiſibili tranſit animal nouum in ſtatum viſibilem, cor animaduertimus oculi armato *c*), illudque pulſat perpetuo. Is motus cordis per omnem vitam perennis eſt, et mortem adeſſe tum demum adfirmare poſſumus, ſi cordis irritabilitate prorſus deſtructa *d*) a nullo ſtimulo iterum ad motum illud cieri poteſt. Eam ſententiam, cor omnium partium moueri primum et vltimum deſinere, antiquiſſimam eſſe, luculenter ſatis patet ex GALENI libro de HIPPOCRATIS et PLATONIS decretis, et quidem ex eius L. III. Cap. VIII. hanc exſcripſimus. Vniuerſa GA-

c) *Phyſiolog.* T. VIII. p. 257.

d) *Phyſiolog.* T. VIII. P. II. p. 123.

LENI ſchola inter axiomata phyſiologica hanc ſententiam inprimis recenſuit, et vltimus fere eorum, qui alias ne hilum quidem a GALENO diſſentirent, fuit CASPAR HOFMANNVS, eruditiſſimus omnino vir, et ſeculi ſui ornamentum eximium. Is vero in ſupra allegata diſſertatione expreſſis verbis ait theſ. XVI. *cor pulſat ſtatim*, et theſ. XXIV. *cor primum viuens, vltimum moriens.*

Mirum eſt omnino veteres rem eamque cognouiſſe (quamquam oculo armato non potuerint obſeruare illud phaenomenon), quam nuperi tot auxiliis adiuti, microſcopiorum ope, extra omnem dubitationis aleam poſuerunt.

THESIS II.

Cordis primi motus cauſſa eſt vis ſeminis paterni, et cor foetus per ſtimulum ſeminis ad motum primo cietur.

Hanc ſententiam immortalis HALLERVS in Phyſ. T. VIII. P. I. p. 152. his verbis expoſuit: "*ex eo, quaſi ſomno, animalculum videtur excitari, a partibus ſubtilioribus, adoratis, et ad irritandum aptiſſimis, ſeminis maſculi.*" Eamdem doctrinam ex ARISTOTELE ſuo doctiſſimus CASP. HOFMANNVS in libro (quem pauci hodie legere ſolent) de calido innato, Cap. II. p. 20. iisdem fere verbis tradidit,

quae

quae hic appoſuiſſe non poenitebit me. Sic autem ſcripſit: "*recepto, vel in ouo, vel in* „*vtero, ſemine maſculo, formari incipit foetus,* „*primumque omnium cor. deinde reliquae par-* „*tes. Et quia cor ſtatim pulſat, veriſimile eſt,* „*vel omne ſemen maſculum, vel optimam eius* „*partem in conſtitutionem eius abſumi — quid* „*enim eſt illud, quod cauſatur perpetuum cor-* „*dis motum, ſi non eſt illa ſubſtantia ſpirituoſa* „*ſeminis?*"

Calidum illud innatum itaque ſtatuiſſe veteres philoſophos et medicos, eſſe praecipuam cauſſam formationis foetus, eius incrementi, nutritionis, vitae conſeruationis, et eius deſtructionem eſſe mortis ipſius cauſſam, ex multis veterum locis, mox allegandis, patebit.

THESIS III.

Irritabilitas cordis eſt ſola et vera cordis motus cauſſa.

Demonſtratio huius propoſitionis optime habetur in Opere Phyſiologico T. I. p. 465. Ibidem vir ſummus reſpondit quoque ad veterum doctrinam calidi innati p. 473, illudque negat variis argumentis. Et omnino erronea non pauca in veterum doctrina de calido innato paſſim occurrunt, quae admitti nequeunt, ad quae pertinet illud: cor eſſe magis calidum caeteris

caeteris omnibus aliis partibus. Contrarium enim docuit BACK de corde, ed. mea Roterod. 1661. 12. p. 177. BORELL, de motu animal. L. II. Cap. 8. prop. 96. ed. alt L. B. 1685. P. II. p. 136. HALLERVS experimento in fele capto, Phyſ. T. II. p. 291 et ROBERT WHYTT, in monedula vnico gradu calorem cordis maiorem inuenit calore caeterarum partium in *Phyſiolog. eſſays* p. 16.

Sed generatim tamen calidum innatum veteres dixerunt cauſſam motus cordis, non ſecus ac nuperi hoc phenomenon irritabilitati tribuere conſueuerunt, vt pateat, magnam eſſe omnino cognationem vtriusque principii vitae. Scilicet a calido innato illo primum in foetu cor moueri, et ſi propter calidi illius defectum cor deſineret palpitare, mortem tunc adeſſe dicebant veteres, nuperi eundem effectum irritabilitati tribuunt.

THESIS IV.

Cor in eius interna ſuperficie magis irritabile, et ab interna irritatione maxime irritabile.

Hoc axioma per experimenta ſtabiliuit eximius HALLERVS Phyſiol. T. I. p. 468. Veteres principium illud vitae, quod calidum vocarunt innatum, cordi inexiſtere, vno adfirma-

rmarunt ore omnes, et quod mirum videtur, n hac vel illa eius parte interna ſedem habere crediderunt, ARISTOTELES ſcilicet in dextro cordis ventriculo (vid. de part. animal. L. III. Cap. IV,) GALENVS vero in ſiniſtro; tem auctor libri de corde, ed. LINDEN. Opp. HIPP. T. I. p. 291 et HERMANNVS CONRING in ſepto cordis, Cap. XIII. Concedit ipſe Perill. HALLERVS Phyſiol. T. II. p 286. veteres in cor ipſum, calorem poſuiſſe. Nec hoc quidem miror. Etenim fatetur Perill. HALLERVS cor irritabilitate alias omnes partes corporis ſuperare, et in ſyncope a frictione abdominis, quae iterum ſanguinem, pellit ad cor, reuocari cordis motum, et cum illo calorem totius corporis. Negat equidem Perill. HALLERS motum cordis deberi calido innato, attamen concedit. calorem eſſe praecipuum ex ſtimulis, quibus debetur alias cordis motus *e*).

Eſt omnino memorabilis apud ARETAEVM de curat. acut. L. II. Cap. VII. locus ille: "*cor* „*arteriae calorem impertit*," edit. BOERH. et TRILLERI p. 108. Hoc quidem phaenomenon nunc recentiores cordis irritabilitati tribuunt, qua nimirum aucta augetur calor, et imminuta imminuitur, licet hoc non eueniat in progreſſione quadam geometrica, vt ſomniarunt

e) Phyſiolog. T. I. p. 467.

niarunt Iatromathematicorum nuper non pauci. Cartesivs illo in libro *de homine* (Frcf. ad Moen. 1692. 4.) p. 7. Art. V ſtatuit: in poris latere cordis ignem, illumque inſeruire dilatando, calefaciendo, et attenuando ſanguini, qui ex vena cana veniret in dextrum ventriculum. Alibi vero, ſcilicet in libro *de format. foetus* P. II. p. 161. ib. p. 174 et p. 186 exſtant loca memorabilia, de calidi illius efficacia in opere abſtruſo generationis. Ibi enim ait: diaſtoles motus iam a primo initio vi caloris productus, ſiue actione ignis; item: cor, quia dum viuit, pulſare non deſinit, videtur eius fibras ad hunc motum tam faciles reddi debere, vt poſtquam mortuum eſt et frigidum, poſſet ab externa vi facile reuocari. Quamquam in hypotheſi illa Carteſiana multa ſint, quae noſtro aeuo melius edocti ſcimus, vltima tamen paulo ante allegata ſententia docet, Cartesivm inter caetera dogmata de calidi innati, indole, illud numeraſſe, hanc vim languentem, a ſtimulo quodam externo denuo poſſe reſuſcitari. In poris cordis deliteſcere ait Cartesivs, principium illud igneum, nunc quidem probabili argumento ſtatuimus omnes, in glutine animali, fibram animalem ex parte conſtituente, haerere principium illud, quod vocamus irritabilitatis.

THE-

THESIS V.

Cor animalium iuniorum magis irritabile, et in dies magis a primo conceptionis momento decreſcit irritabilitas.

Haec theſis in Phyſiol. T. I. p 469 per obſeruationes et experimenta Antiſtitis noſtri confirmata legitur. Viuaciſſimam cordis pulſationem eſſe praecipuam cauſſam frequentiae pulſuum animalium iuniorum, nunc nemo tam facile in dubium vocabit. Decreſcit in animalibus in dies magis a conceptionis momento ad vltimum ſenium haec irritabilitas cordis, et cum ea pulſuum ſimul frequentia, vt omnino maxime debilis illa in ſenio irritabilitas, ſit praecipua moriendi neceſſitas. Cum hac ſententia maxime conuenire ſententiam illam credo, quam legimus in Opp. Hipp. libro *de nat. human.* T. I. ed. Lind. p. 278. *homo primis diebus calidiſſimus ſui reſpectu, vltimis frigidiſſimus. Neceſſe eſt enim augeſcens et ad vim procedens corpus calidum eſſe. Vbi autem inceperit marceſcere corpus, delabens in otium frigidiſſimum euadet. Et iuxta hanc rationem, quanto amplius primis diebus homo augeſcit, tanto calidior exiſtit, et quanto plus vltimis diebus marceſcit, tanto frigidiorem eſſe, neceſſe eſt.*

Huc etiam pertinere mihi videtur Aphoriſmus XIV. Hipp. L. I. "*qui creſcunt pluri-*

„*mum*

„*mum habent innatum calorem — ſenibus au-*
„*tem modicus eſt calor;*"

THESIS VI.

Cor euulſum adhuc irritabile eſt et palpitat.

Quae hanc theſin corroborant, expoſita leguntur Phyſiol. T. I. p. 470 71. 72. et omnium conſenſu veriſſima habetur. Interim vero nec veteres latuiſſe veritatem illam, exinde intelligere licet, cum exſtet apud GALENVM. de vſu partium C. H. Libro VI. Cap. VIII. locus memorabilis: nos poſſe cordis motum obſervare, iam iam *euulſum ex animali ac pulſans adhuc inſpicientes.* Nihil luculentius teſtatur cordis exſecti motum, quam locus allegatus.

THESIS VII.

"*Non omnes fibrae muſculares aeque irritabi-*
„*les, ſed omnium maxime irritabile cor, de-*
„*inde teſtina intenuia, et tandem ventriculus*
„*ex ordine prae caeteris partibus maiori*
„*gaudent irritabilitate.*"

Non aliter ſtatuunt veteres de calido ſuo innato. Scilicet recens auctor et fere vltimus eorum, qui de calido ſcripſere innato SPERLINGIVS l. c. p. 79 prolixiori ſermone ex veterum monimentis demonſtratum dedit, calidum

lidum innatum diuerſis partibus diuerſo modo ineſſe, et paulo poſt ait ille, in corde viget maxime, in ventriculo minus. Videntur itaque veteres haud obſcuram habuiſſe notionem principii illius vitalis, quod noſtra demum aetate melius innotuit nobis. Idem enim vitae principium non in omnibus partibus aeque efficax reperiri, eſt communis ſententia veterum omnium, vt pateat ſatis ex horum monimentis, cor eſſe primariam ſedem calidi innati, non ſecus ac nuperi omnes ſtatuunt, cor prae reliquis partibus irritabilibus maxima gaudere irritabilitate, et ventriculi irritabilitatem multo minorem eſſe. Sed ad alia progredior.

THESIS VIII.

"*Cor eſt vera cauſſa motus humorum in foetu.*" Phyſiol. T. VIII. P. I. p. 283.

"*Celeritas incrementi foetus primis a con-„ceptione diebus eſt maxima.*" ib. p. 293.

"*A cordis pulſu arteriae elongantur.*" ib. p. 287.

"*Incrementum decreſcit, quia cor in dies mi-„nus irritabile.*" ib. P. II. p. 28. "*Inde „finis tandem incrementi.*" ib. p. 33.

Aliquot veritates doctrinae irritabilitatis Hallerianae ſimul propono, cum ha-

 beant

beant proximam inter ſe et arctam cognationem. Docent nimirum, foetus euolutionem, incrementum eiusque denique limites ab ea pendere cauſſa vnice, et ab ea potius vi vitali, quam ab aliis viribus ſic dictis phyſicis commode ſatis explicari poſſe. Non anima corpus proprium ſtruit, eiusque efficit incrementum, propter innatas quasdam ideas, ſicut Stahlivs credidit. Licet maxime obſcura fuerit veterum notio vitae illius medicorum, non ſine admiratione tamen annotatum legitur, calido ſuo innato, vt quidem vocabant, omnes tribuiſſe effectus, quos melius docuit ſagaciſſimus Hallervs ab irritabilitate prouenire. Legitur apud Holstivm, ſupra allegatum, p. 22 de calido innato: generationem hominis promouet, corporis nutritionem, et incrementum procurat. Eandem ſententiam fouet Andreae l. c. in diſſ. Theſi III. calidum innatum eſſe cauſſam nutritonis, humorum aſſimilationis et denique ſecretionis ac excretionis. Iatromathematicorum gens ſuperba nimium tribuit ſuo tempore viribus cordis et arteriarum elaſticis in humoribus elaborandis perficiendisque, cum ignoraret, motum illum non a ſola elaſticitate illarum partium prouenire, ſed cor eſſe ſimul irritabile, atque eam ob cauſſam vaſorum ſyſtema veram ſiſtere perpetui mobilis ideam.

Si

Si GALENVM euoluimus, pluribus locis ille annotauit, calidum innatum praecipuam eſſe cauſſam, quae foetus euolutionem et deinde functionum animalium oeconomiam potiſſimum iuuat. Is enim ait L. DE TREMORE, calorem innatum eſſe generationis principium; *Comm. in Aph.* IV. 37 calorem natiuum eſſe naturam illam, quae ſolida corpora regit; *Comm. in Aph.* I. 15 eſſe facultatem gubernantem corpora noſtra; in *Aph.* L. VI. 12. a natiuo calore ſanguinem generari; L. 2 *de fac. nat.* C. 4, a calore innato, alterationem ſecundum naturam, concoctionem, omnem ſucci generationem, — nutritionem, prouenire; *Comm. in Aph.* I. 15. et *de placit.* HIPP. et PLAT. eſſe naturalium operum auctorem; et denique L. 2. *de nat. fac.* Cap. 8. calorem, tum ad alias actiones, cum ad ſuccorum praecipue generationem plurimum valere.

RIVERIVS l. c. p. 55. ait, caloris natiui beneficio viuere animantia et actiones ſuas exercere.

Quamquam non omnes inter ſe conueniant de natura et indole calidi illius innati, quod abunde demonſtratum dedit CASP. HOFMANNVS in libro ſuo, qui omnium fere collegit ſententias diuerſas, et prolixe contra multos diſputauit, tamen conſentiunt ſinguli, calidum innatum eſſe vitae principium, et prae-

cipuas actiones, quas vocare ſolemus in phyſiologicis naturales, ab illo conſeruari, vt vita et ſanitas maximam partem eius ſint effectus.

THESIS IX.

"*Excitari ſolet vis irritabilis cordis et fibra-*
„*rum muſcularium a variis ſtimulis, vario*
„*modo, pro ſtimuli ipſius varietate.*"

Haec eſt ſumma eorum, quae Perill. HALLERVS in Phyſiol. T. I. p. 467. ſeq. T. IV. p. 515 et alibi expoſuit. Perpetuo autem a ſtimulo admoto cor et muſculi ſe ſe contrahunt, agunt, palpitant, tremunt, et aliquoties idem motus repeti ſolet, ſtimulo etiam remoto iterum, quod neminem poteſt latere, doctrinam HALLERIANAM edoctum. Vis autem et efficacia ſtimuli varia eſt, nam ingens diſcrimen inuenit ſummus HALLERVS, cum exploraret ſtimuli varietates. Alio etenim modo mechanica irritatio, alio modo applicata acria, venena, alio denique caloris poteſtas, ſollicitare ſolent fibras muſculares, vt ſe ſe contrahant, nunc fortiter, nunc vero non adeo vehementer, ſed longe debilius. Cognitum eſt hodie atque perſpectum, non acria ſolum, ſed et fluida blanda, immo blandiſſima, et maxime naturalia, hanc illamue partem irritabilem, pro varietate irritabilitatis in-

natae

natae vario modo exſtimulare, vt ex effectu vario irritabilitas partium ſiue maior, ſiue minor hodie aeſtimari ſoleat. Irritat mucus fauces, irritat ſemen virile vrethram, et conſenſus lege, totum ſimul corpus in ipſo eiectionis momento. Venenorum et medicamentorum vis nunc quidem non inepte cum ſtimulo comparatur, et compertum habemus, acria, aromatica, calefacientia, ſtimulo ſuo nunc ſalutares, nunc noxios abſoluere effectus. Exercitatio corporis, balnea, cibus et potus, et quae ſunt reliqua, ceu ſtimuli, ſpecie diuerſi, nunc quidem ab omnibus conſiderantur.

Eandem veritatem omnino veteres cognouerunt, quod nonnullis argumentis ſaltim probaſſe ſufficiat, cum res ipſa non opus habeat prolixiori demonſtratione.

Galenvs in libro *de morb. cauſſis* ait: "*calor noſter intenditur balneis calidis, cibis, po-„tionibus calidis, exercitatione, anguſtatione „meatuum.*" Alibi vero, ſcilicet L. III. *de Temp.* ait: "*calor animantium a medicamentis „calidis augetur, vt ignis a ligno,*" et *in Comm.* ad. *Aph.* Hipp. I. 15. "*calor natiuus exerci-„tiis augetur.*"

Vomitum ex irritatione ventriculi oriri, ait Ettmvllervs Opp. Frcf. 1696. fol. T. I. p. 329 quod quidem teſtatur, nullo fere tem-

pore prorſus ignoraſſe medicos ſtimuli poteſtatem in fibras animales irritabiles.

THESIS X.

"*Irritabilitas gradu differt in diuerſis individuis, et morborum nonnunquam exiſtit cauſſa.*" Phyſ. T. IV. p. 466.

Eam ſententiam nuperi omnes veram agnoſcunt et ſtatuunt, in modica irritabilitate conſiſtere ſanitatem, eius defectum eſſe torporis aut paralyſeos nonnunquam ſpeciem, et ab exceſſu irritabilitatis pariter varios morbos ortum habere. Notiſſima haec ſunt omnia partim ex GAVBII, partim ex ROBERTI WHYT libris eximiis, nec opus eſt, haec in praeſenti repetere. Ea vero dogmata, quae nuper GAVBIVS *f*) propoſuit, iam antea iisdem fere verbis nobiſcum communicauit GLISSONIVS *g*). Docet vero ille, irritabilitatem diuidi debere in moderatam, nimis tardam et nimis acutam, et paulo poſt pergit: moderata ſola naturalis — deficiens vocatur *ſtupor*, ſiue *torpor*, et ignauiae fibrarum auctor eſt. Irritabilitas vero nimis acuta cognominari poteſt irrequieta ſiue pruriens. Deinde ille

f) Inſt. Pathol. recuſ. Lipſ. 1771. 8. *) §. 169 - 199.

g) Tr. de ventriculo et inteſtinis ed. Lond. 1677. 4. *) p. 173.

ille cauſſas et effectus vtriusque morboſae conſtitutionis irritabilitatis eximie tradidit.

Omitto hic ea omnia illa, quae doctiſſimus olim meus auditor Cl. WEISE *de irritabilitate morborum genitrice* diſputauit *h*), quaeque ab aliis antea de eodem argumento dicta fuere. Irritabilitatem variam in variis hominibus, non mixtionem ſanguinis, conſtituere temperamentum, HALLERVS, Phyſiologorum princeps, ſatis abunde docuit *i*).

Nunc audiamus GALENVM, qui ſequentibus eleganter recentiorum dogmata confirmauit, atque cum illis conſentit ad amuſſim. Scribit vero L. III. DE TEMPER. "*caloris* „*natiui interdum ſubſtantia augetur, interdum* „*qualitas intenditur;*" et *Libr. de Trem.* "*ca*„*lor naturaliter ſe habens ſanitatem efficit, ſu*„*perans vel ſuperatus, morbos.*"

Augeri et minui nonnunquam calidum nobis innatum HOLSTIVS l. c. p. 40. 41. dixit.

Si calor innatus ad ſummum vsque gradum augetur, febrem tunc accendi, GALENVS auctor eſt, eiusque diſcipuli omnes per longam annorum ſeriem in ſcholis ſuis hanc docuerunt ſententiam, quam centies inculca-

h) Ien. 1772.

i) Phyſ. T. II. p. 147.

runt Galeni commentatores. Ipſe Galenvs in comment. ad Aph. Hipp. I. 14. ait: "*ob caloris natiui ad igneam naturam conuerſio-„nem, accenditur febris.*" Ipſe ſenex diuus Hippocrates l. c ſapienter monuit: "*ſe-„nibus modicus eſt calor — ob quam cauſſam „febres ſenibus non ſimiliter acutae fiunt.*" *Frigidum eſt enim ipſorum corpus.* Quis neſcit hodie, iuuenes facilius in febres acutas incidere, cum in ea aetate irritabilitas maior, ſenes vero longe rarius prehendi febre inflammatoria, propter torporem fibrarum. Sola irritabilitatis diuerſitas in ſingulis hominibus foecunda exiſtit mater tot morborum e familia ſpaſmorum. Chronici et acuti morbi diſcrimen a diuerſa irritabilitate maxime explicandum venit. Eſt vero praecipua cauſſa, quae fibrarum muſcularium irritabilitatem nunc auget, nunc minuit, aer, eiusque conſtitutio varia. Anni tempora et tempeſtas aeris in pathologicis, quod notiſſima res eſt, conſiderantur ceu cauſſae, quae efficiunt, vt oriantur epidemici morbi, potiſſimum a fibra ſtricta ſimulque magis irritabili, ſiue a fibra laxa, quae ſtimulo parum obedire ſolet. Hyeme et vere augeri ventris caliditatem et calorem innatum tunc eſſe maximum, ait Hipp. L. I. *Aph.* 15. et non diſſentit Galenvs in commentariis ſuis in hunc locum. Quis vero ignorat hodie, augeri omnino hyemis tempore

ore motum periſtalticum ventriculi et inte-
ſtinorum, atque adeo concoctionem ciborum.

THESIS XI.

„*Irritabilitas eſt vis inſita perpetua in muſcu-
„lis.*" *Phyſiol.* T. IV. p. 515.

„*Vis illa abeſt a ſiccata parte animali, abeſt
„a muſculo, qui frigidus eriguit.*" ib.
p. 453.

„*In glutine latet veroſimiliter vis irritabilis.*"
ib. p. 464.

„*Augetur alimento.*" ib. p. 465.

„*Caloris poteſtas in motum muſcularem ma-
„ximi momenti.*" ib. p. 553.

„*Veroſimiliter gluten a ſucci neruei irrita-
„tione ſollicitatur.*" ib. p. 556.

Calidum innatum veteres vno ore omnes vim quandam vocant inſitam, cuius effectus in oeconomia animali conſeruanda per omnem vitam cernere liceat, non ſecus ac nuperi de vi inſita irritabilitatis docent. Phaenomenon illud irritabilitatis, cum ſeſe accurtant ac conſtringunt fibrae muſculorum, moxque iterum relaxant, certiſſime prodit vim quandam innatam, cum ex ipſis methaphyſicis notioni-

 bus

bus compertum habeamus, nullum exiſtere poſſe effectum absque vi aliqua, quae eius cauſſa haberi ſolet. Ea, quae decet modeſtia virum ſummum, ſaepius faſſus eſt ſummus noſter HALLERVS in libris ſuis, vbi de irritabilitate loquitur, ſe prorſus ignorare hanc vim, ſolum vero phaenomenon teſtari, hanc vim omnino adeſſe, et latere in fibris muſculorum; quae ſolae irritabiles, illamque in nulla alia parte animali reperiri. De abſtruſa irritabilitatis cauſſa saepius loquitur eius doctrinae inuentor HALLERVS, quod nemini nemi fugere arbitror. Qui de calido innato theoriam nobiscum communicarunt veteres horumque interpretes; fatentur libere, veram naturam eius ſe prorſus ignorare. Poſſem quidem et hic nominare multos, ſed vnicus ſufficiat ille IO. BAPT. MONTANVS, cuius olim magna erat auctoritas. Ille vero in Comment. in I. Aph. 11. ait candide: "*vt in„genue fatear, profiteor, me doctorem eſſe et „vix tandem ſenex cognoui, quid eſſet calor in„natus.*"

Sic etiam GEORG ENT, in Opp. L. B. 1687. 8. p. 28. fatetur, ſe hoc ſcire ſolum calorem a corde prouenire, ſed veram cauſſam ſeu naturam potius calidi illius innati, explicare non auſus eſt, quod etiam caeteri non auſi ſunt.

Vi

Vis irritabilitatis in fibris muſcularibus ceſſat, et vita ſimul, ſi omnis calor animalis prorſus ceſſat, inde haec vis non ſecus ac neruorum ſenſibilitas, vitalis appellari conſueuit, et iure quidem. Occurrunt apud GALENVM, in libro *de Trem.* aliquoties iam iam laudato, loca nonnulla maxime memorabilia, quae docent, calorem eſſe naturam noſtram, calorem non illum eſſe acquiſititium, aut animalis generationis ſecundum, ſed primum et innatum, eumque ſemper mobilem eſſe. Naturam noſtram conſtituit irritabilitas, eaque vis perpetim agit aut occulta, ait HALLERVS *k*). Calidum innatum vero perpetuo in motu eſſe, communis eſt veterum ſententia. Perpetuam eſſe fibrarum palpitationem nuper dixit Cl. ROGER. Irritabilitatem probabili admodum coniectura in glutine fibrae latere, HALLERVS noſter affirmat. Secundum veterum ſententiam calidum innatum eſt humidum primigenium per omnes corporis partes ſparſum, ſpiritu inſito et calore natiuo vndique perfuſum. Legi ea de re merentur RIVERIVS *l*) et CASP. HOFMANNVS *m*). Eſt locus ARISTOTELIS memorabilis, quem allegavit HOFMANNVS *n*): "*Omnes partes totum-*

„*que*

k) L. c. p. 515.

l) *Inſtit. med.* Hag. 1657. 8. p. 52. ſeq.

m) L. c. de ſpiritibus per totum.

n) L. c. p. 20.

„*que adeo animalium corpus, habent calorem* „*quendam ſibi connatum, naturalem, cuius me-* „*rito quamdiu vita durat, calent actu, mortua* „*autem vitaque priuata, frigent,* et paulo poſt „addit, *calent partes, quamdiu vita eſt.*"

Ex veterum opinione aeque inſeparabile eſt calidum innatum a vita, et v. v. vt nuper docuit HALLERVS, vitam conſiſtere in irritabili natura fibrarum, eamque poſt mortem animalis tamdiu ſupereſſe, donec frigeſcat gluten, quo congelato ſtimulus nullus iterum reſuſcitare valet irritabilitatis phaenomenon. Gluten animale et pars lymphae gelatinoſa a calore animali modico potiſſimum naturam fluidam habent, frigus vero ſic inſpiſſat gelatinoſam partem humorum, vt omnem mobilitatem amittat. "*Humidum primigenium*, ait „RIVERIVS o) *eſt ſubſtantia humida, pin-* „*guis, per omne corpus effuſa, qua calor na-* „*tiuus tamquam proprio pabulo conſeruatur;*" et paulo poſt: "*calor natiuus eſt qualitas omni-* „*bus animantibus propria et familiaris, cuius* „*beneficio viuunt, et actiones ſuas exercent.*"

Sic docuit HALLERVS noſter, irritabilitatis naturam vix abeſſe a natura animali; nam et ea animalia, quae ex mera quaſi gelatina ſtructuram habent, maxime irritabilia ſunt, vt haec vis animalis illis propria et quaſi vnica ineſſe

o) L. c. p. 54.

neſſe videatur, quod teſtantur tot polyporum ſpecies, et mytuli et cochleae.

Humidi deſcriptio veterum, proxime conuenit cum gelatina recentiorum. Spiritus admiſceri humido primigenio veteres affirmabant, recentiores vero docent per neruos advehi ſpiritum quendam.

De vario irritabilitatis gradu, eiusque exceſſu et defectu, morborum cauſſa, nemo nunc amplius dubitat, et praecipua momenta illius doctrinae iam ſupra expoſui Eadem fere veteres de calido innato docuerunt. GALENVS L. III. *de temp.* ait: caloris natiui interdum ſubſtantia augetur, interdum qualitas intenditur. Nonne nunc axioma eſt in theoria irritabilitatis, dari eius exceſſum, ita vt a ſtimulo etiam leniori, motus oriatur, vehemens, quin immo conuulſio, quod ſine dubio erat veterum augmentum ſubſtantiae caloris natiui. Compertum etiam habemus, a ſtimulo fortiori effectum irritabilitatis magis vehementem obſeruari, et fortaſſis illud phaenomenon intellexerunt veteres, cum affirmant, interdum qualitatem calidi innati mirifice augeri. Sed etiam de hoc augmento irritabilitatis et variis modis eius incrementi, praecipua iam iam monui.

Et haec ſunt veſtigia irritabilitatis, quae in veterum monimentis reperi. Niſi omnia me fallunt,

fallunt, liquet, effectus calidi innati et quali
tates eius, omnino conuenire cum irritabilitat
noſtra. Illud vero me non fugit, notitiam
phaenomeni, quod nunc vocamus irritabilita
tem, veteres ignoraſſe, vt tuto affirmare poſ
ſim, Perill. HALLERVM eodem iure me
reri laudes inuentoris *irritabilitatis* ſuae, quo
HARVEVS nunc omnium conſenſu veru
inuentor doctrinae de circuitu ſanguinis haber
ſolet. Propediem communicabo *Vindicias ir
ritabilitatis* HALLERIANAE. Iam vero
vela ſunt contrahenda.

IV.

PROGRAMMA, VINDICIAE IRRITABILITATIS HALLERIANAE.

D. I. DECEMB. MDCCLXXV.

"*Amicus Plato, amicus Ariſtoteles, ſed magis amica veritas.*"

Scripſi nuper veſtigia irritabilitatis Hallerianae in monimentis veterum reperta, ſimulque vindicias nunc communicandas promiſi. Sed data nunc opportuna occaſione, vindiciis illis praemittere nonnulla placuit, quae ad corroborandam meam nuper expoſitam ſententiam, idonea viſa ſunt. Ad rem ipſam vero me ſtatim accingo, cum tanta ſit rerum dicendarum copia, vt ſuccincta oratione malim enarrare vim et perſpicuitatem argumentorum meorum, quam verborum lenociniis applauſum mereri doctorum virorum. Eſt igitur antiquiſſima doctrina, cor in foetu primum formari et vltimo mori, quam CASP. HOFMANNVS ex ARISTOTELE didicit. Is enim *de Generat. anim.* L. II. Cap. VI. p. 1269 *a*). "*Fit* „*autem*

a) Vtor ed. graeco-lat. IVL. PACII, 1597. 8. Facile potuiſſem huc transſcribere, leuiſſimo negotio, textum

„*autem primo principium, quod in ſanguinea* „*genere cor eſt — idque effici primum, non* „*modo ſenſu percipitur, ſed etiam, quod per* „*obitum vita hic vltimo deficit. Euenit nam-* „*que in omnibus, vt quod vltimum ſit, id pri-* „*mum deficiat: et quod primum, id vltimum.—* „*Itaque, ſi quid tale eſt, quod in animalibus* „*ineſſe neceſſe ſit, quod totius naturae princi-* „*pium et finem contineat, id effici primum ne-* „*ceſſe eſt. Qua enim mouens, primum oriri,* „*qua pars finis eſt, cum toto oriri debet.*" Porro ait, principiorum vnum adeſſe debere. vnde motus, et pergit: "*quam ob rem omnia.* „*quae ſanguinem habent, animalia, cor primum* „*poſſident.*" Alibi vero ait ARISTOT. ſcilicet Libr. *de iuuent. et ſeneſt.* Cap. III. p. m. 1496. "*Cor autem, quod eſt venarum princi-* „*pium, in iis, quae de partibus animalium.* „*dictum eſt prius, quare neceſſe eſt, et ſenſiti-* „*vae et nutritiuae animae in corde principium* „*eſſe ſanguine praeditis.*" Pulchre cum ARISTOTELE conſentit PLINIVS, *hiſt. nat.* L. X. Cap. 53. cuius verba haec ſunt: "*omni-* „*bus ouis, medio vitelli parua ineſt velut ſan-* „*guinea gutta, quod eſſe cor auium exiſtimant,* „*primum in corpore id gigni opinantes: in ouo* „*certe gutta ſalit, palpitatque.*" Idem vero alibi,

textum graecum. — Sed nolui, ne oſtentationis ſcilicet ſuſpicionem incurrerem, cum quilibet aeque facili negotio euoluere poſſit textum ipſum, et ex fontibus haurire limpidas aquas.

alibi, L. XI. nempe, Cap. 37. ait: "*Cor pri-*
„*mum naſcentibus formari in vtero tradunt,*
„*et emori nouiſſime. — Ceteris corruptis vi-*
„*talitas in corde durat.*"

Ad theſin noſtram alteram firmandam fa-
cere videntur *Ariſt. de gener. anim.* L. II.
Cap. III. p. m. 1251. ſequ. verba: "*ineſt in ſe-*
„*mine omnium, quod facit, vt fecunda ſint ſe-*
„*mina, videlicet, quod calor vocatur.*"

Cor euulſum adhuc palpitare, eleganter, vt
ſolet omnia, deſcripſit Cicero, *de Nat.*
Deor. L. II. Cap. IX. p. 266. ed. Berolinenſ.
"*Animaduerſum ſaepe eſt, cum cor animalis ali-*
„*cuius euulſum, ita mobiliter palpitaret, vt*
„*imitaretur igneam celeritatem.*"

Is philoſophus-medicus accuratam ſatis ha-
buit motus periſtaltici inteſtinorum notitiam,
quod patet ex dictis l. c. L. II. C. 54. vbi ait:
"*aluus tum adſtringitur, tum relaxatur, atque*
„*omne quod accipit, cogit et confundit: vt fa-*
„*cile et calore quem multum habet, exterendo*
„*cibo, et praeterea ſpiritu omnia cocta, atque*
„*confecta in reliquum corpus diuidantur.*"

Ad theſin noſtram ſeptimam pertinet illud
Hippocratis, *de Princip.* VII. p. 116. T. I.
ed *Lind.* "*Cor in puero calidiſſimum, et hoc*
„*calidum etiam reliquo corpori et aliis omnibus*
„*partibus motum praebet;*" et paulo ante,

G "*cali-*

"*calidum plurimum in venis ac corde ineſt* — „*cor intra hominem membrorum calidiſſimum.*" Ibid. C. VI. p. 115. dicit: "*plus habet calidi ar-* „*teria, quam vena caua.*" Patet itaque, veteres conſideraſſe cor ceu veram cauſſam motus humorum, euolutionis et incrementi ac nutritionis animalis.

"*Venae ex corde tendunt diductae modo ri-* „*vorum,*" ait ARISTOT. l. c. *de gener. anim.* p. 1262, quae ſcilicet per cor animatae, ſuccos nutritios per corpus diſtribuunt. Qua quidem occaſione, cum ſemel iniecerim caloris mentionem, cuius poteſtas ex veterum auctoritate tanta eſt, temperare mihi non poſſum, quin apponam elegantiſſimum illum CICERONIS locum, *de Nat. Deor.* L. II. Cap. IX. p. m. 265: "*Omnia, quae aluntur et creſcunt,* „*continent in ſe vim caloris, ſine qua neque ali* „*poſſent, neque creſcere. Nam omne, quod* „*eſt calidum et igneum, cietur, et agitur motu* „*ſuo: quod autem alitur et creſcit, motu quo-* „*dam vtitur certo et aequabili: qui quamdiu* „*remanet in nobis, tamdiu ſenſus et vita rema-* „*net: refrigerato autem et extincto calore occi-* „*dimus ipſi.*" Elegantiſſime cholerici hominis naturam irritabilem pinxit LVCRETIVS L. III. v. 295.

„*Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,*„ et eodem libro, v. 140. ſeq. legitur doctrina adfectuum expoſita, quae nunc quidem ex

irri-

irritabili natura muſculorum et ſenſili neruorum genere, apprime ſatis explicari ſolet.

Vim innatam irritabilem, quae perpetuo agit, reſpexiſſe mihi videntur HIPPOCRATES L. *de Princip.* ed. *Lind.* T. I. p. 116 quum ait ille: "*cor et venae cauae ſemper mouentur,*" et ſine vllo dubio philoſophorum princeps CICERO, *de Nat. Deor.* L. II. Cap. 9 p. m. 266, his verbis: "*venae et arteriae micare non „deſinunt, quaſi igneo quodam motu. Omne, „quod viuit,* ait ille deinceps, *ſiue animal, ſiue „terra editum, id viuit propter incluſum in eo „calorem.*"

Apud diuum HIPPOCRAT. Libr. *de Princip.* pluribus locis, maxime p. 117 et 118 ed. *Lind.* T. I. occurrunt veſtigia, principium illud vitae, quod veteres calidum innatum, recentiores irritabilitatem vocant, in humido et glutine deliteſcere.

Sed ſufficiant haec additamenta, quae adiicienda eſſe cenſui nuperis meis cogitatis. Venio nunc ad nuper promiſſas *Vindicias*, quibus doctrinam Hallerianam irritabilitatis ab aduerſariorum obiectionibus nonnullis liberare mecum decreui. Et primo quidem ex ante dictis ſatis abunde patere arbitror, hanc doctrinam vere nouam eſſe, et inter ſeculi huius inuenta principem mereri locum. Quam-

quam enim veteres hoc effugere non poſſet, eſſe in nobis vitae animalis principium quoddam, quod calidum innatum appellarunt, et cui mirabiles tribuerunt effectus in conſeruanda oeconomia animali, rectius tamen atque melius perſpexit ſummus HALLERVS, illud principium motus vnice quaerendum eſſe in ipſis muſculorum fibris. Per repetitas Ille demum obſeruationes leges illas ſtabiliuit, ſolis muſculis hanc ineſſe vim irritabilem, illamque ab illa vi neruorum, qua ſoli ſentiunt, toto coelo eſſe diuerſam, ideoque diſtinguendam. Haec quidem nunc omnes fere agnoſcunt, ſi paucos exceperis, quorum mens adeo hebes, vt capere nequeant, irritationis vocabulum interdum latiori ſenſu nunc ſignificare in arte noſtra, omnem mutationem in muſculis aeque ac neruis, a vario ſtimulo excitatam, vt nunc vel motus vel ſenſus oriatur, aut vis haec vna et altera ſimul agat, ex ſuis phaenomenis cognoſcenda et diiudicanda. Ex vulgari etiam loquendi vſu, et latiori ſignificatu, ſtimuli nomine id omne venit, quod aut irritat muſculos, aut neruos ſic mutat, vt ſenſus oriatur. Nimietas ſtimuli vulgo in pathologicis nunc cauſſa conuulſionum, nunc dolorum haberi ſolet, et recte quidem. Sed ſtrictiori ſenſu nemo vnquam vere dixit neruos eſſe irritabiles, nam phaenomena ſibi adeo ſunt diſſimilia, vt iuſta ſit mihi cauſſa et ſpes, fore,

vt

vt edoceam lecturos, immerito neruis id omne nunc a nonnullis tribui, quod motum impertiri dicitur muſculis.

Mitto itaque cenſuras illas inanes nuperi cuiusdam Pathologi, qui ſibi ſoli ſapit, et quaeuis alia alto contemnit ſupercilio dogmata, quae non ipſe inuenit aut excogitauit. Res mihi nunc eſt cum viris doctiſſimis, qui argumentis ſubtiliter excogitatis, doctrinam Hallerianam prorſus euertere allaborarunt. Concedunt hi quidem veritatem experimentorum Ill. HALLERI, ſed negant, vim irritabilitatis eſſe vim fibris muſculorum inſitam, propriam, illamque ceu effectum neruorum conſiderant, et ab imperio neruorum in muſculos repetere malunt.

Accuſant horum principes Ill. HALLERVM, eum incidiſſe in errorem, quem vulgo fallaciam cauſſae appellare conſueuimus. Sunt vero prae ceteris a me nominandi Cl. REHFELD *b*), Cl. KRAVSE *c*) et Cl. VNZER *d*).

b) Diſſ. *an vis fibrarum muſcularium innata ipſis inhaereat, an aliunde ad eas accedat.* Gryph. 1771. reſp. *fratre.*

c) Diſſ. I. *de irritabilitate partium C. H. Lipſ.* 1772.

d) Erſte Gründe der Phyſiologie. Leipz. 1771. 8. fere per totum, inprimis p. 387. ſeq.

Ex parte huc etiam pertinet Cl. GOLDHAGEN diſſ. *de quadam motus muſc. cauſſa dubitationes. Hal. ſine anno.*

Eo deuenit autem ſtatus controuerſiae, vt experimentis et obſeruationibus dirimi nequeat, quare fruſtra et alii et ego, mille experimenta inſtituiſſemus. Non negant enim nunc aduerſarii phaenomena, ſed philoſophandi rationem ſuper phaenomenis illis impugnant, et concluſiones, vt vocant philoſophi, negant. Laudent alii hodie felicitatem ſeculi huius iure ſuo, laudent philoſophandi libertatem, quae nunc eo vsque proceſſit, vt perpauca ſuperſint dogmata in arte noſtra, quae nuperi non ceperint dubia reddere, et argumentis ſubtiliter excogitatis labefactare, vt audacter affirmare poſſim, vanam eſſe opinionem eorum, qui credidere, medicam artem nunc certioribus niti fundamentis. Quot enim ſunt numero in theoria noſtrae artis dogmata, quorum veritatem communi conſenſu agnoſcunt omnes? Pauciſſima certe, ſi velimus attento animo perluſtrare hiſtoriam dogmatum, et cogitare, quae geſta ſint hoc ipſo, quod viuimus, ſeculo. Sed ad rem ipſam venio. Idem dogmatum ſtudium, quod propter inſignem praeſtantiam ad liberalem doctrinam acquirendam, recte laudant, qui perſpexerunt, pauca ſcire eum, qui neſcit, quid alii iam iam ſciverint, docet, antiquiſſimam eſſe in Phyſiologia eam doctrinam, a neruis motum muſculorum oriri. Teſtis eſt Phyſiologorum dogmatici argumenti primus, cuius ad nos peruenerunt

runt monimenta, GALENVS, maxime L. *de Tremore*, Cap. 3. *de motu muſc.* L. I. Cap. I. et alibi. Senſus et motus inſtrumenta is ſaepe appellauit neruos. Cor paucos habere neruos, et tamen ab his regi, idem L. *de vſu partium* edixit, non ſecus ac nuper dixere nonnulli, minores et paucos nonnunquam ſufficere neruos regundis muſculis. Collegit *Ipſe* Ill. HALLERVS in *praelect. Boerhavii* (L. B. 1758. 8. T. III. p. 315.) ex GALENO noſtro loca illa, quibus neruis tribuit motum muſcularem.

GLISSONIVS *de Inteſtinis* Cap. III. defendit neruorum in muſculos imperium, et Ill. HALLERVS *Phyſiol.* T. IV. p. 556. neruos cauſſam occaſionalem contractionis muſculorum pronunciauit.

Coniectura quae olim fuit BOERHAAVII, fibras muſculorum ipſas a neruis originem habere, notiſſima eſt omnibus. Is in *Praelect.* l. c. p. 254. ait: "*ſi omnem arteriam,*
„*venam, pinguedinem, de muſculo demſeris, id,*
„*quod ſupereſt, videtur neruus eſſe. Neruus*
„*enim, quando in muſculum ſe demiſit, nun-*
„*quam prodit, ſed euaneſcit in muſculo, neque*
„*vllum eſt viſibile punctum, quod non ſentiat*
„*et moueatur.*"

Placet vero nuperis diſcrimen neruorum, vt alii ſint ſentientes, alii mouentes, ſic quidem,

vt motus ſine ſenſu exiſtere poſſit, et ab eo diſcrimine repetunt mirabilia illa phaenomena in oeconomia animali et doctrina de muſculorum paralyſi, vbi nunc aut ſenſus tantum, aut motus ſeorſim perit. Nemo cupit negare, irritamenta neruorum conſenſus lege propagare latius effectum ſuum, et muſculos ſimul exſtimulare, vt nunc oriatur contractio horum, aut lege naturali, aut maiorem in modum, ita, vt nunc ſpaſmus et conuulſio dira vexet membra. Sed qui tanti faciunt neruorum poteſtatem in muſculos, et vix aliam vim agnoſcunt, quam quae neruis tribuenda videtur ex peramata hypotheſi, hi non animadvertere videntur, rem obſcuram per aeque obſcuram illuſtrari.

Incredibile aiunt eſſe, vim eam motus muſculorum deliteſcere poſſe in ipſa fibrarum, ex quibus componitur muſculus, natura, ſed vnice per neruos aduehi. Ego vero cenſeo, naturam, quae vt pulchre ait Galenvs, incomprehenſibilis eſt, non permittere, vt animo concipere poſſimus, ſtupendum illud miraculum motus muſculorum a *ſolis neruis* prouenire. Sunt enim multa, quae dicenda in promtu habeo. An melius perſpicimus motus cauſſam, ſi neruis tribuimus, quam muſculis ipſis? An probabile, a neruorum quodam ſucco tanta miracula produci, quem tot

ot multi hodie negant exiſtere. Si enim verum, quod multi opinantur, non ſecerni fluidum quoddam in cerebro, mobiliſſimum et igneae poteſtatis, atque per neruos in omnes corporis partes diſtribui, tunc actum eſſet, de pulcherrima hypotheſi, quae ſtatuit, fulmineo ictu liquidi neruorum rapidiſſimi, exſtimulari muſculos. An torpida fibra, vi propria deſtituta, irritabilis foret vnquam? Si irritabilitas a neruis ſolis, quid, quaeſo, facit neruus, cum muſculum irritat? Vim itaque propriam, innatam, fibris muſculorum ineſſe debere, quae ab illa vi longe aliena, quae a neruis aduenit, quorum vim in muſculis irritandis ipſe agnouit HALLERVS noſter, valde vero ſimile eſt: nonne enim vim illam muſculi neruus exſtimulat: vis itaque nerui ab illa, qua muſculus exſtimulari patitur, longe diuerſa ſit, et vice verſa, neceſſe videtur. Sunt multa, quae in phyſiologicis admirationem noſtram merentur, quaeque vix vllam explicationem admittunt. Docent Phyſiologi, motum muſculi ab adfluente liquido neruorum oriri, illudque tunc a glutine abſorberi. Sed cum illud fluidum, quamquam ex hypotheſi ſubtiliſſima materies, imperio voluntatis noſtrae obediat, cum inſtrumenta ſua tractat muſicus, incredibili fere celeritate, qui fit, vt pro lubitu muſculis imperare poſſit quisque homo, atque efficere, vt illico nulla ſuperſit irritatio

ſluidi neruei, et muſculus quieſcat iterum. Haec omnem fere fidem ſuperant, quae de natura et indole fluidi neruorum Phyſiologi docent, ſaltim nemo videtur perſpexiſſe, longe difficilius explicari phaenomenon illud, vt muſculus ex voluntate quieſcat, quam vt moveatur. Sic incomprehenſibilis natura ingenii humani aciem effugere videtur, vt nemo mortalium intelligere poſſit primas rerum cauſſas. Sed haec obiter dicta ſunto.

Diſcrimen illud paralyſeos nemo ignorat, nunc perire ſolam neruorum aut ſolam muſculorum functionem. Ad haec reſponderunt equidem aduerſarii, eſſe diſcrimen neruorum, vt alii ſolummodo ſentiant, alii absque ſenſu moueant membra. Nos qui defendimus omnes diſcrimen virium irritabilitatis et ſenſibilitatis, hanc neruis, illam muſculorum fibris ſolummodo tribuentes, ſtatuimus, deſtructa vel irritabilitate vel ſenſibilitate, vel motum vel ſenſum perire. Nolunt aduerſarii haec nobis concedere, ſed videant, quo iure velint perſuadere nobis, longe facilius intelligi veram paralyſeos vtriusque cauſſam, ſi adſumamus, irritabilitatem et ſenſibilitatem vnice a neruis prouenire. Saepius legi et relegi Cl. aduerſariorum dogmata praecipua, quibus maxime nititur horum doctrina. Niſi omnia me fallunt, vniuerſae doctrinae, quam nunc exami-

nare

nare mecum decreui, ſumma haec eſt: per neruos nutriri fibras muſculorum, et nutrimento illo per neruos communicato, deberi omnem motum vitalem, quem in muſculis animaduertere licet. Sed (non nuper demum cognouere multi, neruorum illud liquidum, (quod non pauci exiſtere negant) vix eſſe idoneum nutritioni. Eſt itaque hoc axioma nihil aliud, quam mera hypotheſis, et ex mea et aliorum ſententia, ne quidem vero ſimilis. Neque enim eas dotes habet fluidum neruorum, quae ad veram nutritionem requiruntur, neque in nutriendis muſculis opus eſſe videtur liquido illo, cum aliunde, per arterias, quae ſanguinem et ſpiritum vitae aduehunt, materies copioſe ſatis aduehi poſſit, vt nutrimentum capiant muſculi. Vetuſta, bene ſcio, eſt hypotheſis, ipſum cordis motum, neruis cardiacis deberi, quos falſo ex cerebello oriri credidere nonnulli, ſed olim iam cognouerunt multi, cor, quod mouet ſanguinem, ex quo liquidum neruorum ſecernitur, praecipuam et primariam eſſe cauſſam omnium functionum in vniuerſa oeconomia animali; vt itaque nullum in cerebro ſecerni poſſet neruorum liquidum, niſi cor ipſum, vi propria animatum, ſanguinem per cerebrum diſtribueret. Tanta eſt efficacia irritabilitatis in conſeruanda oeconomia animali, vt nemine contradicente fluidi neruorum ſecretio ſit irritabili-

tatis

tatis effectus, iuſtaque oriatur ſuſpicio, neruos regi potius a vi muſculorum, quam muſculos a neruis. Eſt enim irritabilitas praecipua cauſſa omnium functionum, quae in corpore animali peraguntur, certe omnis humorum motus, vt ſanguis omnino non circumiret, niſi cor irritabile. Eſt denique in variis organis diuerſa omnino irritabilitas, quae facit, vt ipſa ſecretio nunc copioſa, nunc parca ſit. Fluidum vero in iis maiori copia ſecerni videtur, quibus a primordiis irritabilitas maior. Non ignoro, Cl. aduerſarios ſententiam plane contrariam tueri, ſcilicet, a cerebro motum omnem oriri, ſed quod pace horum dictum ſit, noſtra ſententia aeque veroſimilis videtur.

Nullum muſculum carere neruis, axioma eſt, et veroſimile argumentum, magnam eſſe neruorum poteſtatem in muſculos, ſed nonne ad neruos ſimili modo abeunt vaſa, quae ſanguinem aduehunt, vt iure eodem affirmare poſſis, omne principium vitae in ſanguine deliteſcere. Certe in ſanguine latere id, quod robur auget muſculorum, edocti ſcimus multis argumentis, vt victu craſſo vel tenui nunc augeri, nunc minui poſſit facile irritabilitas et muſculorum robur. Etiam medicamenta non pauca, quae vix mutant vim neruorum ſentiendi, mirifice mutant irritabilitatem, et contrario modo alia medicamenta, venena, neruo-

neruorum vim augent, deſtruunt, illaeſa fa-
cultate muſculorum, quod antea iam monuit
Ill. HALLERVS, vt inde colligere poſſis,
eſſe omnino magnum diſcrimen irritabilitatem
inter et ſenſibilitatem. Nec adeo improbabile
videtur, vires diuerſas in eodem corpore la-
tere ſimul. Phyſica docet, idem corpus eſſe
graue, elaſticum, durum, vim habere quam
vocant inertiae, et longe plures. Quis quaeſo
nobis perſuadere velit, tot phaenomena, ſibi
adeo diſſimilia, vim quandam communem,
ceu veram et vnicam prodere. Veroſimile
itaque mihi videtur, vitam animalem non niti
vnica vi, eaque ſimplici, ſed contrarias potius
requiri vires, vt vita animalis per tot annos
durabilis, continuare poſſit, quae ſtatim per-
iret, ſi vaſa irritabilia et cor quieſcerent. Ro-
bur muſculorum longe maiorem et magis effi-
cacem vim prodit, quam quae videtur a ner-
vis expectanda vnice. Concipere itaque non
poſſum mente, lubenter fateor, haec omnia
mirabilia, quae in muſculorum motu obſer-
vantur, vnice neruis deberi, et propter vim
neruorum nullam aliam in corpore animali
reperiri.

Si fateri licet, quod res eſt, medici in eo-
dem errore verſantur, qui nuper Philoſopho-
rum fuit, cum ex principio, vt vocabant, ab-
ſolute primo, vellent omnem veritatem dedu-
cere, et principium contradictionis et neſcio
quae

quae alia principia, crediderunt fontem omnis veritatis. Vis illa neruorum certe noſtro tempore eſt principium illud, quod multis placet, quodque cenſent primam et vnicam cauſſam vitae et omnium functionum, quae in viuis animalibus obſeruantur.

Ex iis, quae a me dicta ſunt, facile perſpiciet quisque, noluiſſe me ad ea argumenta prouocare, quae olim probare viſa ſunt, irritabilitatem eſſe vim quandam innatam, ab omni vi neruorum longe alienam. Nam dicere quid vetat, nunc quidem his vti nolim, cum Cl. aduerſarii ſubtiliter excogitatis argumentis docuerint omnino, vix ſufficere illa, ad theſin noſtram corroborandam. Vnum erat olim ex praecipuis, cor animalium euulſum, per ſatis notabile tempus adhuc palpitare. Cor fruſtulatim diſciſſum adhuc irritabile eſſe, ſciuit HARVEVS. Cor anguillae euulſum, ſub campana per horae ſpatium irritabile vidit BOYLE, et *Idem* cor Pectunculi piſcis in fruſtula diſſectum, et ab vtraque parte linteo deterſum, per ſatis longum tempus irritabile obſeruauit. Et quae omnem fere fidem ſuperat obſeruatio VERVLAMII, cor hominis euulſum in ignem iniectum ſaltaſſe aliquoties, non amplius quidem declarant vim illam innatam, cum omnino a vi illa ſuperſtite neruorum prouenire poſſit phaenomenon *e*). Sed haec nunc eſt

e) v. Boerh. Prael. T. II. p. 92. 96. plura exempla.

ſt ipſa quaeſtio principalis, quam incredibilem ego cenſeo, quamquam ſolertiori ſtudio ſaepius legerim, quae nunc ante quatuor annos Cl. VNZERVR nobiſcum communicauerit dubia *f*), qui doctiſſime omnium, et magna ſubtilitate hanc ſententiam tueri annisus eſt. Iure enim eodem vtor, quo viri Cl. vſi ſunt. Dubitant enim, irritabilitas vim eſſe vim ſimplicem muſculorum, nec credunt poſſe demonſtrari, ex natura et indole fibrarum, quae muſculos conſtituunt. Sed idem argumentum quoque de neruis valet, quorum fabrica aeque in abſtruſo latet, quam fabrica muſculorum, ita vt fruſtra quisque allaboraret, vim neruorum ex fabrica illorum explicare. Si itaque, demonſtrari nequit, quod libenter concedo, ex fabrica ſiue neruorum, ſiue muſculorum, vndenam vis horum, non licet tunc aſcendere altius rigore demonſtrationis, quam ad id ſummum theorema: *neruis ineſt vis vitae, quamquam ratio nos lateat.* Audacter itaque ſententiam contrariam opponere liceat: *muſculis ineſt vis vitae,* quamquam ratio me prorſus lateat, qui fiat, vt illis inſit. Negant Cl. Viri muſculos animalium, qui neruis carent, conuenire cum muſculis hominum et brutorum, vt iuſtam habeant cauſſam affirmandi, omnem muſculorum motum neruis vnice deberi. Sed Ipſe Cl. REHFELD

f) Scilicet l. c. pag. 381. ſeq.

FELD *g*) non auſus eſt negare prorſus, per ſanguinem muſculis illud vitae principium communicari poſſe, qui certiſſime fons eſt et origo nutritionis omnis in toto corpore animali, vnde et nerui nutriuntur, et ſi illis ineſt fluidum quoddam, quod tantam vim habet, quantam plerique illi tribuunt, omne ex eo ſecernitur.

Quum noſtra controuerſia cum aduerſariis Ill. HALLERI per experimenta nunc quidem non poſſit componi, ſed vltimus terminus totius controuerſiae is ſit, muſculi a neruis vim habent irritabilitatis, quoniam nullus eſt ſine neruo muſculus; ſolis rationibus etiam nobis pugnandum eſt, contra hypotheſin, quae a neruis regi animal ſtatuit. Iure itaque, vt vocant, retorſionis, accuſare poſſumus Cl. adverſarios, fallaciae cauſſae. Exinde nimirum, cum ad quemcunque muſculum abeat neruus, neutiquam recte formatur concluſio, ergo omnis irritabilitas a neruis, quae ſine neruis nulla eſt. Quis negauit vnquam, neruos inter ſtimuli cauſſas principem fere mereri locum, non mirum itaque naturam ad muſculum quemcunque miſiſſe neruum. Sed, repeto iterum, aeque probabile manet, et fibris muſcularibus vim quamdam propriam et innatam ineſſe, non ſecus ac neruis, et hoc qui-

g) l. c. §. 21.

quidem, vt credamus, res ipſa iubet, et non repugnat ſanae rationi. Deus, qui voluit vt muſculi eſſent motuum animalium inſtrumenta, hanc legem condidit, vt iis ineſſet vis quaedam, quae durat, quamdiu viuit animal, quod ſine dubio intellexit LVCRETIVS L. III. v. 128.

„*Eſt igitur calor, ac ventus vitalis in ipſo*
„*Corpore, qui nobis moribundis deſerit artus.*„

Lubentiſſime orationem meam continuarem, ſed vel inuitus filum nunc abrumpere, et quae reliqua ſuperſunt dicenda, ad aliud tempus differre cogor.

V.

PROGRAMMA,

MALIGNITAS IN MORBIS, EX MENTE HIPPOCRATIS, PER RECENTIORVM IRRITABILITATEM ET SENSIBILITATEM ILLVSTRATA.

D. XXX. DEC. MDCCLXXV.

Μέγα μέρος ἡγέομαι τῆς τέχνης εἶναι, τὸ δύνασθαι κατασκοπέεσθαι περὶ τῶν γεγραμμένων ὀρθῶς. Ὁ γὰρ γνοὺς καὶ χρεόμενος τούτοισιν, οὐκ ἄν μοι δοκέει μέγα σφάλλεσθαι κατὰ τὴν τέχνην.

ἹΠΠΟΚΡ. *περὶ κρισίμων.*

HIPPOCRATES ille, princeps omnium in definiendis diiudicandisque morborum ſymptomatibus, accurate ſatis et dilucide nobiſcum communicauit malignitatis in morbis, et febribus potiſſimum, notas, vt ſaepe mecum miratus ſim, qui fieri potuerit, vt non pauci hodie a vero tramite aberraient, et in definienda malignitate diſſentirent. Res mira eſt profecto, nonnullos hodie dubitare, an dentur febres malignae, et alios in ea verſari opinione,

opinione, ſi quae ſint febres malignae, illas non eſſe a putridis diuerſas. Legi attente ſatis recentiorum libros, vt intelligerem, quae ſit vera mens horum, atque ſic demum cognoui et perſpexi, alios putare, nullum eſſe diſcrimen inter putridam et malignam febrim, alios vero docere, omnem malignitatem, quibuscunque febrium generibus ſuperuenire interdum, ceu ſymptoma quoddam ex complicatione aliqua natum, ideoque non pertinere ad morbi naturam et indolem, ſed tamquam accidens conſiderandam eſſe. Quum vero ego ab omni contradicendi ſtudio inani maxime alienus ſim, nihilque magis mihi ſit curae cordique, quam vt quauis occaſione doceam, in veterum monimentis latere theſaurum veritatum ad artis vſum vtiliſſimarum, et mirum in modum recentiorum dogmata cum veterum doctrina conuenire, aut ſaltim facili negotio recentiores conciliari poſſe cum vetuſtis monimentis medicorum Graeciae principum, nunc quidem decreui mecum, paucis repetere ea, quae de malignitate in febribus edixit HIPPOCRATES ſparſim, atque illius dogmata ex noſtratium theoria irritabilitatis et ſenſibilitatis ſubinde illuſtrare. Quod quidem fiat ſine felle et amaritie, quoties ſtrenuum vindicem veterum me profitear, immo fatear lubentiſſime, quorundam recentiorum dogmata non poſſe mihi placere. Eandem

ob cauſſam paucos nominabo, a quibus diſſentio, quo videat quisque, non rixandi cauſſa me ſcripſiſſe, ſed vt candide aperiam mentem meam.

Illud vero mihi concedant et permittant ii inprimis, qui nunc quidem impenſe laudant philoſophandi libertatem, et praecipuam ſeculi noſtri felicitatem putant, cuilibet licere, animo ſincero profiteri, doctrinam, quam quisque veram putat, aut vero tamen ſimilem, quam ſummus ille noſter Antiſtes et Anteceſſor, b. BRENDELIVS olim expertus eſt, cuius veſtigia e longinquo ſaltim ſequi laus eſt, et cui licuit in hac vniuerſitate literaria profiteri antiquam medicinam, ſummum exemplum omnium temporum et aetatum. Sed mittam ea omnia, quae ab aliis olim et ante me ſuper malignitatis ſignis et ſymptomatibus dicta fuere, ſufficiat enim Diuus ſenex ipſe, inſtar omnium, quem malim centies legere, quam ſemel turbam commentatorum inanem, quibus nunc fere, ſincere fateor, valedixi; cum ſero cognouerim, paucos fregiſſe nuces, plurimos vero appoſuiſſe nobis putamina. Illud vero monendum eſſe duco, eximium FÖESIVM ſuo iam tempore notiones HIPPOCRATIS de malignis morbis breuiter et ſtrictim explicuiſſe in libro vtiliſſimo, cui titulum fecit:

Oecono

Oeconomia Hippocratis a). Eſt vero ſumma praenotionum HIPPOCRATIS, morbos malignos eſſe dubii ſemper euentus, ſpem valetudinis recuperandae eſſe exiguam, ſummum vitae imminere periculum, iudicationem eſſe difficilem, et incerti temporis, vix vnquam vero criſin perfectam expectari poſſe, frequentius autem abſceſſus ſpeciem et metaſtaſin quandam ad varia loca, liberare aegrotum a vitae periculo, et mortem auertere in malignis illis febribus.

Ego vero nullus dubito, ſed firmiter ſum perſuaſus, HIPPOCRATEM in Coacis praenotionibus, ab aphoriſmo 1 ad 362 fere nihil aliud egiſſe, quam malignarum febrium ſymptomata varii generis recenſuiſſe, atque eam maxime ob cauſſam in iis recenſendis admodum ſollicitum fuiſſe, cum obſeruaſſet ille, malignarum familiam multitudine ſymptomatum longe ſuperare quodcunque aliud febrium genus, et inter ipſa malignitatis ſymptomata, alia magis eſſe periculi plena, alia denique mortis certiſſima indicia.

Illud vero patet ex dictione Hippocratica, quae recentiorum arti, quam vocant, determinandi, nullo modo cedit, ſed cum fiducia, minime vero dubitanter, proponit, quid ſpe-

H 3

a) Vtor editione Frft. 1588. fol. Vbi p. 301. exſt. l. c.

ſperandum ſit ab aliquo ſymptomate. Etenim aliud appellat *κακὸν*, aliud *κάκιςον*, aliud denique *πονηρὸν*, *ὀλέθριον* aut *θανάσιμον*, vt exinde colligere poſſimus, malignitatem gradu admodum eſſe diuerſam. Quae *κακοήθεα* ille appellat ſymptomata, ſemper indicant, dubium fore morbi euentum, et in magno verſari aegrotum periculo, ita vt exigua ſuperſit ſpes vitae ac ſanitatis. Praecipua illa et memorabilia malignitatis ſigna ſunt Hippocrati *ψύξις*, *περίψυξις*. *κατάψυξις* et quidem *μετὰ σκληρυσμȣ̃* frigus, perfrictio, cum dolore, tenſione, rigiditate corporis, artuum, ſpinae, ceruicis; *Pῖγος*, ſumma corporis rigiditas, tetani inſtar eiusque ſpecierum, maxime ſi tenuis ſimul ſudor adſit, parcus et inutilis, ſuperiorum partium ſubinde tantum, graece *ἐφίδρωσις*, vna cum aliis ſimul ſymptomatibus, ad quae pertinent maxime, *ἀφωνία* vocis priuatio; *ὀδύνη τράχηλον*, ceruicis dolor; *δυσφορία* moleſtia quaeuis; *φόβος*, metus; *ἀθυμία*, animi triſtitia et moeror; *ἄλογος* maxime, id eſt, citra rationem aut occaſionem; *δυσουρία*, difficultas mingendi, aut negata prorſus facultas ex rigore inprimis; *ἄγνοια*, ſtupor mentis, vt non agnoſcant familiares aegroti; *λήθη*, obliuio eorum, quae geſta ſunt; *κῶμα* et *καταφορὰ* et *κάρος*, ſopores, iique profundi ac graues; *ἀγρυπνία*, ſomni abſentia,

ſentia, peior illa, quae cum dilirio eſt, (φλεδονώδεα cum inepta delirant aegroti, et vigilantes et ſomniantes); ἔκλυσις, virium exolutio, ſumma proſtratio, ſine cauſſa tamen externa, notabili, aut citra manifeſtam euacuationem quandam, quae motum inprimis ſpectat muſculorum, ſiue ex rigore aut ſpaſmo quocunque orta ſit; πόνος, dolor et labor, artuum, manuum ac pedum, femorum, genuum, ſurarum; ἀλγήματα, moleſtae variarum partium ſenſationes. Maligno enim laborat morbo, qui ἄναυδος, voce et ſermone priuatus eſt, aut quem afficit ἀχλὺς, oculorum caligo, aut κόπος, laſſitudo, aut ἄνιδρος ſc. πυρετὸς, ſine ſudore die iudicatorio febris, cum horrore tamen, angore et iactatione corporis.

Malignum audit apud HIPPOCRATEM ſymptoma λύγξ ſingultus; ſubitanea ſummitatum corporis in vtraque extrema permutatio; ferox et audax reſponſio, acuta vox, geſticulatio, quae fit ſtudio intenſiori, torpor, ſtrangulatus, et quidem faucibus graciloſcentibus, inter potandum ſtrepitus, maxime difficilis deglutitio, taciturnitas, oculi diſtorti, lingua et vox tremula, pauores, ſpirandi moleſtia, et quae ſunt reliqua in *Coacis* elegantiſſime enarrata, quae teſtantur ſatis ſuperque, febrim illam, in qua haec animaduertimus,

 ſympto-

ſymptomata, ad malignarum pertingre familiam. Quam phrenitidem vocant Graeci febrim, quamque BRENDELIVS ex horum monimentis concinne ſatis delineauit, nobis ſiſtit exemplum malignae febris, in qua malignitatis ſigna quamplurima, eaque peſſima ſimul adſunt, ideoque vix vnquam ſanationem admittit, ſed fere ſemper vitam adimere ſolet. Paraphrenitis huic perfecte ſimilis eſt, eo tamen diſcrimine, quod ſymptomata gradu mitiora. Haec vero neminem fugere arbitror, qui adſidue legerit *Coaca* illa, quae credo ſufficere ad malignarum cognitionem, vt nullum mihi ſit dubium, poſt HIPPOCRATEM vix maligni morbi ſymptoma fuiſſe obſeruatum, quod ille non ſuo iam tempore in aduerſariis ſuis annotauerit. Ea vero ſymptomata adeo conſtanter morbum malignum conſtituunt, vt iure affirmare poſſim, diſtinctum genus quoddam morbi atque ab aliis febrium generibus diuerſum conſtituere. Genus enim morbi, ex vſu loquendi appellare conſueuimus, cui conſtanter ſymptomata quaedam ineſſe deprehendimus, quae in genere inflammatoriarum ſunt dolor, pulſus durus, cum febre acuta, calore, reliquis quae nemo ignorat, ſymptomatibus. Quodſi igitur negare vellemus, malignas ſingulare morbi genus conſtituere, iure eodem negarem fere ſingula morborum genera. Nullum enim in vni-

niuerſa pathologia morborum genus mihi otum eſt, quod non aliquando tanquam ymptoma aliis morbis ſuperuenire viſum ſit, uod de inflammatoriis et exanthematicis po-tiſſimum morbis notiſſima res eſt. Qui ſta-iunt itaque malignitatem ſingulis febrium eneribus ceu ſymptoma et accidens quoddam iperuenire, hi cogitent velim, nullum eſſe enus exanthematum, quod non aliquando uius vel illius febris typo inuadere ſoleat ho-eat homines. Peſtis, vt exemplo vtar, nonne emper peſtis dici meretur, licet indoles febris on eadem ſit ſemper. Complicationem tunc mnes adeſſe dicunt, ſi duo morborum genera ſtincta ſimul aegrotum infeſtant. Negare ebemus aut vniuerſam doctrinam de com-licatione morborum, aut concedere coacti umus, quodſi praeter malignitatis ſympto-nata alius morbi ſimul adſunt ſigna, veram unc adeſſe complicationem, et morbum illum on neceſſario pertinere ad malignitatem, nec b illo malignitatem eſſe deducendam, cum i omnes morbi ſaepiſſime ſoli ſine omni nalignitate adoriri ſoleant homines. Saepiſ-ime autem, quod praecipue monendum erat, impliciſſimum genus morbi conſtituunt febres nalignae, vt malignitatem illam certe nec ab nflammatione, ſiue manifeſta, ſiue occulta, iec a bilis colluuie, aut a putrido quodam ucco deriuare auſim. Ex mea ſententia vali-

dum ſatis argumentum eſt, ab omni retro an-
tiquitate malignam febrim omnes fere conſi-
deraſſe ceu peculiare genus morbi, et quod
nemo ignorabit in hiſtoria pathologiae prob-
verſatus, nuper demum anglis nonnullis pla-
cuiſſe primum, vocabulis morbi maligni e
putridi promiſcue vti. Sed nolim ego aſſen-
tiri illis, aut caecum praeconem anglorum
agere, cum certo certius edoctus ſim, eſſ
quidem ſymptomata putridarum et maligna-
rum febrium ſibi nonnunquam ſimillima, ſ
ſpectemus inprimis ſubitaneam illam virium
iacturam, ſtuporem et alia vtrisque commu-
nia, ſed ideo omnem malignitatem a putre-
dine, ceu vera et vnica cauſſa velle deriuare
hoc eſt, quod mihi quidem incredibile videtur
illudque propter graues rationes, mox ſeorſim
ex ordine exponendas.

Conuenientia enim, aut rectius, tanta ſimi-
litudo, vt ſtare non poſſit diſcrimen, ſi qua
vnquam eſt morborum, haec concernit ve
ſymptomata ipſa, vel morbi euentum, ve
denique cauſſas eius. Quis quaeſo docuit vn-
quam, aut demonſtratum dedit, phrenitiden
ſummmum genus malignarum, a vera putre-
dine humorum ortam fuiſſe. Veritatem pu-
tridi morbi agnoſco equidem, ſed niſi omni
me fallunt, non adeo frequenter quidem oc-
currunt putridi morbi, ac vulgo nonnul

putan

ſtant, qui nimis liberaliter putredinis voca-
lo vtuntur, quod noſtro aeuo certe ſimile
re conſtituit aſylum ignorantiae, quam
itio adhuc ſeculi huius, malignitas ſcholae
edici haud incelebris, fuit commune artis
cabulum, quo inſignire omnis generis mor-
s ſolemne erat, quos nunc certius a colluuie
imarum viarum neglecta oriri, cognouimus.

Quamplurimae dantur febres malignae, vbi
que putrilago primarum viarum animaduer-
ur, neque ſanguinis putridi et diſſoluti ſigna
ſunt, et tamen virium proſtratio ſumma eſt,
m torpor, ſtupor, delirium nunc vigil,
nc ſomnolentum, tremor artuum, membro-
m, animus vero triſtis, et non capax ſen-
ionum, reliquaque malignitatis ſigna adſunt.

Quae quidem ſigna omnia, quotquot in
edicorum libris enumerantur et annotata le-
ntur, nullo quidem excepto, teſtantur,
incipium illud vitae, tam muſculorum, quam
ruorum, grauiter affici. Nullum, repeto
im, ſymptoma occurrit in vniuerſa ſigno-
m malignitatis doctrina, quod non vel in
ſis muſculis aut neruis ſedem habere videa-
r, vt recte poſſim affirmare, irritabilitatem
ſenſibilitatem, vt nuperi vocant, potiſſi-
um laedi in omni morbo maligno. Illae
tem vires vitales, aut ſi malis, animales,
non,

non ſemper in omni febre maligna infirma
tur, ſed ſubinde augentur potius, vt itaq
praeternaturaliter aucta ſentiendi facultas, vnu
ſit ex praecipuis malignarum febrium ſigni
cum ſcilicet a leuiſſima cauſſa occaſionali a
dolor admodum vehemens, et integra ſenſ
tio, aut dira conuulſio oriri ſaepe viſa ſit
animaduerſa fuerit. Pertinent huc pauor
a radiis ſolis et luce oriundi, conuulſiones
ſtrepitu leuiſſimo, aurium illa affectio mirab
lis, odoratus et tactus quoque, vt leuior ſe
ſatio aegroto admodum fiat moleſta, itemq
maxime notatu illud dignum ſymptoma, p
tulentorum maxime difficilis deglutitio, qua
non raro ſequitur illico conuulſio. Hydr
phobiam ſymptomaticam nuperi vocant, iter
que ſpontaneam, denegatam liquida degl
tiendi facultatem illam. Permultis in lo
autem HIPPOCRATES iamiam edixit, m
ligniſſimarum febrium eſſe certiſſimum ſignu
praefocationis in faucibus ſenſum, ſummeq
difficilem deglutitionem, liquidorum inprim
abſente tumore in faucibus et illis gracileſce
tibus potius, vt iuſta mihi ſit ſuſpicio, n
ipſum HIPPOCRATEM ignoraſſe peſſimu
illud malignarum ſymptoma, quod nup
hydrophobiam appellare conſueuerunt.

Malignae febres, non tam cito ſtadia ſ
decurrunt, ſicut id familiare eſt putridis, hi
non omnes ad acutas hodie referri ſolent, ſ
plu

:imorum conſenſu, dantur quoque ma-
ıae lentae, in quibus certiſſime ne minima
ɔicio adeſt, a putredine aliqua ortum ha-
e, nec veroſimile videtur, ab ea cauſſa tot
nptomata poſſe oriri, quae licet nobis prorſus
ɔta videatur, longe alia tamen, quam putredo-
norum cenſenda, quae nimirum certiſſime
ruit potius ſentiendi vim, quam vt illam au-
r; quod adeo frequenter in malignis fieri ſolet.

Conſiderabimus ſolertiori cura malignarum
urſum, vt eo magis pateat, adeſſe notabile
ddam diſcrimen malignam inter et putri-
n. Proprium eſt malignarum, vix vn-
ım, aut rariſſime tamen, notabili aliqua
cuatione critica finiri. Criſeos abſentia,
na limpida, coctionis defectus, cutis ſicca,
ue ſtricta, pertinent ad praecipua maligna-
n ſigna. In putridis vero diarrhoea foetens,
haemorrhagia vix compeſcenda, quae mor-
n non leuat, et ſanguinis diſſolutionem
iſſe teſtatur, aut denique petechiae et vibices
eadem cauſſa obſeruantur. Haec omnia in
lignis abeſſe poſſunt, et non raro ſolent,
in his gangraena extremarum partium
nper occurrit, quae proprium conſtituit
nptoma putridarum a ſanguine diſſoluto,
taſtaſes vero ad glandulas, articulos et de-
ue ad neruos, rectiſſime BRENDELIVS,
ceſſor noſter, poſt fata etiam venerandus,
pronun-

pronunciauit criſes malignis proprias. Ad laeſam vim ſentiendi neruorum, poſt malignas ſaepe diu ſuperſtitem, pertinent maxime torpor cutis totius, auditus, viſus priuatio, et guſtus et odoris abolitio, quae quidem ſymptomata non raro per omne reliquum vitae tempus poſt ſuperatam malignam remanent, nec vllam ſanationem admittunt. Haec omnia mirabilia phaenomena ego certe non auſim derivare a ſuccorum putredine, vt malim quamcunque aliam humorum prauitatem pro vera agnoſcere cauſſa.

Diu iamiam illam ſententiam animo foui, quam nunc palam facere conſtitui. Quod ſcilicet in malignis alii vocant metaſtaſes ſeu abſceſſus ad neruos, illud fortaſſis perperam ſic appellari. Latet enim inter primordia ſtatim malignae febris in ipſis neruis fortaſſi fomes et cauſſa omnium ſymptomatum et effectuum, nec metaſtatice in fine morbi deponitur ibi, vt placet aliis, fomes, vt non opus videatur accuſare metaſtaſin, cum nerui ipſi ſint ſedes morbi, vt ab eadem cauſſa et morbus ipſe et eius effectus omnes, vt mihi quidem admodum veroſimile videtur, explicari poſſint.

Certe nuperis placet in omni doctrinarum genere natura ſimplex, et non anxie quaeſita rerum ratio, et ego quidem ſum perſuaſus, coniecturam meam fortaſſis ſe commendar

ndare ſimplicitate ſua. Quaeuis enim ſym-
mata, quotquot horum HIPPOCRATES
Coacis enumerauit, malignitatis, ſiue ſtupor
uorum, ſiue aucta nimis horum ſenſatio;
antur certiſſime, genus neruorum in omni
dio maligni morbi, ab eius initio ad finem
ue, ab occulta illa, nobisque prorſus ignota
ſa malignitatis mirifice affici, vt non opus
eatur, ad ea ſymptomata explicanda, quae
rbo ſuperato iamiam plerumque remanent,
taſtaſin quandam accuſare.

Lentorem potius humorum, et quae placuit
nnullis, ataxiam ſeu inertiam ſpirituum,
uſare malim, ceu veram cauſſam maligna-
n, quanquam et hic lubenter fatear, mihi
de veroſimile videri, ſummam illam in
lignis virium proſtrationem aliaque ſympto-
ta, a vitio quodam lymphae et ſeri poſſe
i, vt, quae multorum fuit opinio, non
s videatur, accuſare quandam liquidi ner-
um, ſeu ſpirituum corruptionem. Facile
n omnia ſymptomata, quae malignis fere
pria, ab ea cauſſa explicari poſſe, nullus
ito. Metaſtaſes enim, quae in glandulis
quentiſſime omnium occurrunt, item me-
aſes illae, quae fiunt ad articulos, et ad
tabula coxarum, teſtari videntur, lym-
m maxime vitio quodam laborare, idque
lici modo fieri poſſe, quis negabit; ſcili-
cet

cet illud vitium lymphae aut ab initio morb iam adfuit, aut conſiderari debet ceu morb ipſius effectus. Neque a vero alienum vide tur, omnes neruorum in malignis affectione ab eodem lymphae vitio habere origines, ſal tim probabili admodum argumento dolore atque ſtupores auſim deriuare a lympha i neruorum vaginis ſtagnante et quodammod vitiata. Eſt enim notiſſima res, morbo chronicos varii generis, qui vulgo neruorum morbi appellantur, et quibus adnumerantu melancholia, ſtupor, epilepſia, et dolore arthritici atque rheumatici, non eam ob cau ſam neruorum morbos dici, quod liquidu neruorum accuſari poſſit, ſed quod neru ſint morbi ipſius ſedes. Summa virium pro ſtratio et laſſitudo inſignis, morbillis propri neque teſtatur putredinem humorum, nequ vitium quoddam aut ataxiam, ſed bene iai monente GORTERO *b*) a vitio quodar lymphae et ſeri commode ſatis explicari poteſ Eſt vltimus quidem deſtructionum humoru gradus, putredo, et nemo negat, tande putreſcere humores in omni fere genere f brium, ſed tunc putredo non eſt cauſſa, ſe potius effectus morbi.

Plures certe dantur mutationes et corrupti nis ſpecies humorum, quae nonnullis nup iteru

b) Prax. Med. Syſt.

iterum cum diuerſa fermentationis ſpecie comparantur *c*). Eſt diſcrimen fluidum inter putridum et vappidum, quod non dici poteſt putridum, ſed ſolummodo amiſit partem ſpirituoſam et volatilem, ſimulque omnem ſuam fragrantiam, quam interdum noua iterum acquirit fermentatione, manifeſto documento, nondum fuiſſe putridum. Quicquid etiam moneant nonnulli contra reſtauratam illam nuper fermentationis theoriam fluidorum animalium, illud certe extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videtur, tot ſpecies corruptionis humorum corporis humani exiſtere poſſe, quot dantur fere fluidorum arte chemica per fermentationem paratorum genera, vt omnino haec comparatio non prorſus inepta videatur.

Quot ſpecies acrimoniae humorum ſuo tempore iam cognouerit ſummus BOERHAAVIVS, neminem latet. Quam ille vocat acrimoniam oleoſam, rancidam, aromaticam, permulti recentiorum accuſarunt tanquam cauſſam exanthematum, miliarium inprimis, et ſunt multa argumenta, quae in pathologicis recenſeri ſolent, quibus conſtat, veroſimilliumam eſſe hanc doctrinam, vt malim ipſe ego hanc

c) Huc pertinet Cl. BRINCKMANNI notiſſima illa theoria. Cf. etiam Cl. WESTPHAL et PYL diſſ. de rubedine ſanguinis. Gryph. 1775. p. 6. nota 30.

hanc acrimoniam pro vera cauſſa miliarium agnoſcere, quam ex hypotheſi ſtabilitam illam humorum putredinem. Non inepte itaque Cl. Pyl dixit, in febre miliari alba veſtigia fermentationis vinoſae apparere, certe alimentorum nutrientium varia genera, fructus horaei, farinacea, dulcia, vinoſa, non omnem fermentationem, aut huic tamen valde ſimilem mutationem humorum noſtri corporis, prorſus excludunt.

Quicquid demum ſit, miaſmata illa, a quibus nonnunquam morbi maligni oriri dicuntur, non ſemper teſtantur putridam indolem, cum ab iisdem ſaepius longe alia, quam putridi morbi ſpecies oriri ſoleat. Neque petechiae, neque variolae, immo nec ipſa peſtis, nunc omnium conſenſu, ſemper putridam febrim habere ſolent ſociam, vt tuto affirmari poſſit, putredinem illam, ſi in his morbis appareat nonnunquam, longe aliis cauſſis deberi, et potiſſimum quidem illis, quas praediſponentes appellare ſolemus, interdum vero et aliis, quae in ipſo morbi decurſu ſuperueniunt et contingunt.

Quum igitur, repeto iterum, ſigna illa et ſymptomata malignitatis ab Hippocrate iamiam ſollicite ſatis annotata, conſtanter malignum morbum indicare ſoleant, abſente tamen

tamen putredine et abſentibus cauſſis putredinis, cum malignitas ab aliis cauſſis, quam a vera putredine originem habere poſſit, non video prorſus, cur malignus morbus vnice a putredine humorum deriuari debeat.

Nunquam HIPPOCRATES in *Coacis*, vel alio in loco dixit, malignos morbos a putredine oriri, quod mirum omnino. Etenim, quod nemo ignorat, qui legerit HIPPOCRATICA monimenta, aliquoties is dixit, febres fiunt a putredine. Eo magis itaque mirandum, HIPPOCRATEM adeo ſollicite et omni attentione adhibita, tam prolixe malignarum febrium ſingula ſymptomata annotaſſe, nunquam vero putredinem humorum accuſaſſe, ſed potius docuiſſe, malignitatem ab occulta quadam oriri cauſſa.

Quae quidem, cum veriſſima ſint, et ex ipſis HIPPOCRATIS monimentis excerpta, patet, malo conſilio a recentioribus malignitatem latiori ſenſu omnem virium proſtrationem et imbecillitatem dici, quae a cauſſis manifeſtis originem habet. Eſt enim diſcrimen notabile inter morbum acutum, periculi plenum, et vere malignum, poteſt enim morbus eſſe admodum periculoſus, quanquam ſenſu proprio malignus non ſit.

Hinc facile eſt ea refutare, quae nuperi ſcripſerunt, de malignitate, ſingulis febrium generibus nonnunquam ſuperueniente.

Hoc ſenſu recentiorum, nemo prudens negabit, malignitatis cauſſam eſſe aliam ſummum inflammationis gradum in morbo pleuritico, peripneumonia, variolis, aliam bilis colluuiem vel ſaburrae in primis viis. Inde facile concipimus, medendi rationem non vnam eandemque omnibus ac ſingulis his morborum generibus conuenire, et peſſime nocere interdum ſanguinis miſſionem, vomitoria, antiphlogiſtica, veſicantia, quae alias, alio in caſu praeſtantiſſima artis noſtrae auxilia.

Quo demum ſenſu accipias malignitatem, ſymptomata indicant ſemper, vim vitae nunc exſtimulari, nunc vero imminui, vt nunquam ſit absque irritabilitate et ſenſibilitate laeſa, malignitas.

Generatim autem morbi vocantur neruorum, qui iure potiori dici deberent morbi muſculorum, ſi ſpectes ſpaſmos, conuulſiones, torporem, tremorem, immo paralyſes, cum membrorum et artuum, tum ſphincterum inprimis, quae quidem ſymptomata etiam citra omnem laeſionem neruorum oriri poſſe, nemo tam facile negabit. Sed ſunt etiam alia malignitatis ſymptomata, quae ab ipſis neruis

male

male affectis proueniunt, ſcilicet ſtupor mentis, deliria, ſurditas, dolor, horrores et frigoris ac aeſtus ſenſatio. Alia denique ſymptomata mixtum morbi genus ſiſtunt, et vtriusque principii vitae affectionem teſtantur. Quamquam vis enim altera ab altera ſatis diſtincta ſit, hoc tamen negare non cupio, vnam affici poſſe, altera illaeſa.

Eadem itaque materies morbida et fibras muſculorum et neruorum ſimul afficere ſolet, vt ſimul ab eadem cauſſa et dolor et ſpaſmus ac conuulſio poſſit oriri. Eadem quoque medicina vtriusque vitae principii affectiones ſimul tollit, nec dantur cardiaca, neruina, roborantia, antiſpaſmodica et ſimilia remedia, quae non ſimul mutent vires muſculorum et neruorum, quod etiam de alimentis et venenis conſtat.

In abſtruſo latent primae rerum cauſſae, et latebunt forte in omne aeuum, nec ad primas vsque rerum cauſſas demonſtratio medica aſcendit.

Quum itaque in phyſiologicis nonniſi probabilibus argumentis demonſtrare poſſimus rationes phaenomenorum, vix ſperandum eſt, fore vnquam, vt innoteſcat vera malignitatis ratio.

Quod cum veteres ſapientiſſime perſpexiſſent, nec vellent fucum facere, contenti fuere

 ſoler-

ſolertiori ſtudio phaenomena obſeruare, et quae ſingulis morborum generibus propria ſymptomata et remedia. Sapientiſſime CICERO *de Diu.* L. I. Cap. X. ait: "*quid ſcammoneae* „*radix ad purgandum, quid ariſtolochia ad* „*morſus ſerpentum poſſit; quae nomen ex in-* „*ventore reperit, rem ipſam ex ſomnio, video,* „*quod ſatis eſt; cur poſſit, neſcio;* et paulo „ante, ſc. l. c. C. 7. *mirari licet, quae ſint* „*animaduerſa a medicis herbarum genera, quae* „*radicum ad morſus beſtiarum, ac oculorum* „*morbos, ad vulnera: quorum vim atque na-* „*turam ratio nunquam explicauit: vtilitate et* „*ars eſt, et inuentor probatus.*"

Sufficere itaque credo cognitionem illam, in morbo maligno quocunque principium illud vitae, quod hodie venit nomine irritabilitatis et ſenſibilitatis, laedi potiſſimum, et hoc ipſum eſt nihil aliud, quam phaenomenon quoddam, conſtanti obſeruatione confirmatum, atque adeo lex naturae. Motus leges ex corporum grauitate, et quam vocant, inpenetrabilitate, Phyſici ſolent explicare. Nos medici ex phaenomeno irritabilitatis et ſenſibilitatis iure eodem, nunc quidem plurimorum morborum rationes tuto ſatis explicare auſi ſumus *d*).

Etſi

d) Cf. inprimis: DE MAGNI, Praeſidis et DE LA MOTTE, diſſ. an omnis morbus ex irritabilitate aucta aut imminuta, Pariſ.

Ei.

Etſi ne vnquam diuus ſenex HIPPOCRATES audiuerit vocabula illa, quibus nunc quidem ſolemne eſt inſignire vim vitae, maximus tamen et princeps omnium fuit obſervator in febribus ſymptomatum, ex quibus ſolis vim vitae tuto ac certe ſatis diiudicare poſſumus, et quae deſumuntur potiſſimum a ſenſu et motu omnis generis. Quod permouit ſenem optimum, vt toties inculcaret diſcipulis ſuis et poſteris omnibus, ſummam attentionem ad functiones quascunque animales, ſitum, decubitum aegroti, manuum geſticulationes, deliria, ſopores, vigilias, ſtuporem mentis, corporis, et quae ſunt alia, quae in vere aureis *Coacis* annotauit. Summam fuiſſe ſolertiam viri illius, medicorum omnium et hodie adhuc principis, ex eo colligere poſſumus, nullum et ne leuiſſimum quidem ſymptoma eum neglexiſſe. Occurrunt ſaepius monita grauiſſima, quae a leniſſimis, vt primo videntur intuitu ſymptomatibus deſumſit, et ex quibus maligniſſimum ſeuere praedixit euentum.

Ei. ergo a vaſorum aucta aut diminuta irritabilitate omnis morbus.

MANITII, de idioſyncraſiia ex diuerſa ſolidorum C. H. irritabilitate optime diiudicanda ib. nec non libellos viror. Cl. VERSCHVIR, GRVBER, WEISE, et aliorum, quorum catalogum in Pathologia noſtra propediem communicabimus.

Eius generis ſunt v. c. ſpaſmi leuiores, vultus pauliſper meditabundus, taciturnitas inſolita, quies ipſa aegroti, citra conſuetudinem, quae a medicis in arte non exercitatis et nunc ſaepius negligi ſolent, at maximi ſunt momenti.

Etenim praeuidit e longinquo quaſi prudens HIPPOCRATES tempeſtatem imminentem, nec a ſerena alias tempeſtate ſe decipi paſſus eſt, cum longo rerum vſu didiciſſet, a paruis initiis oriri phrenitidem et omnia malignitatis ſymptomata, quibus quantocius obuiam eundum eſt. Omnia vero illa maligniſſima ſymptomata ab HIPPOCRATE annotata, mature ſatis annunciant ſummum periculum, et indicant, metuendam eſſe virium vitae ſummam et irreparabilem deſtructionem.

Si quis vnquam elegantiſſimum illud CICERONIS L. II. de *Oratore*, elogium meretur: "*medico diligenti, priusquam conetur „aegro adhibere medicinam, non ſolum morbus „eius, cui mederi vult, ſed etiam conſuetudo „valentis et natura corporis cognoſcenda eſt;*" ſane illo exornandus eſt diuus parens, qui diis minorum gentium *loquax* videtur, vt relatum audiui, de irriſore quodam antiquae medicinae, ſed amore plus quam paterno inculcauit quaeuis memorabilia praecepta in arte noſtra.

noſtra. Videant igitur, qui priſcam ſapientiam contemnunt, et loco ſtudii obſeruationum veterum, ridiculas ſuper morbis demonſtrationes nobis obtrudere cupiunt, quam longe nouaturiens illa medicina aliena ſit ab eo doctrinae genere, quod per tot ſecula laudarunt, qui de rebus hiſce iudicare potetant.

Vel inuitus hic pedem figere cogor.

VI.

PROGRAMMA,

VESTIGIA IRRITABILITATIS IN VETERVM MONIMENTIS, NVPER OMISSA.

D. XXX. DEC. MDCCLXXVIII.

„ *Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae.* „

Cic. de Nat. Deor. L. II. Cap. IV.

Ego quidem A. 1775. veſtigia irritabilitatis in veterum monimentis reperiunda, recenſui. Sed fieri non potuit, vt vniuerſam eam doctrinam exhaurirem ſtatim. Sedulo itaque ab eo tempore collegi bene multa, quae tunc a me praeteruiſa ſenſi, et data nunc occaſione opportuna, nullus dubitaui, ſpicilegium quoddam prioribus illis a me collectis, addere.

Quum vero in poſterum Galeni aliquoties ſit mentio facienda, moneo, me allegaſſe verſionem illam latinam, quae prodiit Baſileae 1562. fol. quinque Voll.

Antiquiſſimam vero eſſe irritabilitatis doctrinam defendit, et ibi Cap. II. p. m. 120. Gale-

Galenvs ait: „Calorem ineſſe nobis, in „aperto apud omnes eſt, vtrum autem ex cor„dis atque arteriarum motu generetur is, an „vero quemadmodum connatus motus eſt, ad „eundem etiam modum ſe habeat calor, di„verſa de his ſenſere medici.”

Neminem fugit, temperamentorum diſcrimen omne b. noſtrum Hallervm explicuiſſe ex irritabilitate, quae in ſingulis hominibus admodum diuerſa, vt eam ob cauſſam et caloris ratio in ſingulis hominibus non ſit eadem.

Cum ea vero doctrina recentiori non inepte comparantur veterum de Temperamentis placita, quae quidem vel ex Halleriana ipſa Phyſiologia cenſeo notiſſima.

Galenvs equidem illius doctrinae auctor habendus non eſt, veruntamen ſparſa illa veterum fragmenta eleganter ſatis diſpoſuit, in ordinem redegit, et dilucide ſatis explicuit. In libro iamiam citato Galenvs, Hippocratis doctrinam illuſtrans: dicere pergit: „docuimus in libris de *Elem.* ſec. Hipp. et „de *Temperaturis* quaenam corpora maiorum „calidi elementi portionem, quaeue minorem „adepta ſint, vt quae hanc ipſam ob cauſſam „calidiora — frigidiora natura facta ſint. — „Nam cum vniuerſis nobis calidum inſit ele-

„mentum

„mentum, a prima ſtatim origine innatum, „quam ſortiti ex ſemine et ſanguine menſtruo „ſumus, diſtamus tamen inuicem, quod ma- „gis minusque alius, alio calidior reperiatur. „Sunt tamen latitudini huic quidem tanquam „termini praefixi, quos vltra ſi tempera- „mentum praegrediatur, aut aegrotare nos, „aut iam interire neceſſe ſit, vt enim „plus iuſto refrigerati morbos contrahi- „mus frigidos, ſic cum extra ſanitatis „campum excalefacti fuerimus, febrim inci- „dimus etc."

Praeclare hic Galenus a calido innato, ſeu quod nobis idem eſt, ab irritabili natura hominis, a conceptionis inde momento, diſcrimen omne temperamentorum explicandum eſſe docet, et Galeno recentiorum melius ſciuit nemo, cordis et vaſorum ſtimuli ſiue exceſſum, ſiue defectum, morborum gignere genera varia.

In febribus certe plerisque vis cordis et vaſorum exſtimulata, fere omnem morbi ideam abſoluit. Spaſmi denique, conuulſiones, dolores, deliria, et haemorrhagiae, quae vulgo effrenatae appellantur, ſoli debentur ſtimulo vaſorum concitatiori, quem moderari artis praecepta iubent. Id nuperrime quoque Cl. Callisen docuit, qui in libro Inſtitutionum

um chirurgicarum genus quoddam ſummum norborum ſtabiliuit, qui omnes ab irritamento quodam naſcuntur.

Stimuli innati exſtinctio illuſtrat doctrinam e torpore, paralyſi, immo aliis morbis non aucis, e genere chronicorum, qui vulgo rigidi appellantur. Irritabilitatem eſſe ſummam in iuniori aetate, eamque a conceptionis momento in dies minui magis magisque, GALENVS eleganter dixit l. c. cap. VII. p. 126. um ait: „quo magis magisque creſcit foetus, „eo minus redditur calidum illi innatum„ — et paullo poſt addit: „quare colligitur, et iis, „qui plurimum creſcunt, plurimum ineſſe „calidi innati, et iis, qui conſenuere, mi„nimum."

GALENVS L. VIII. de HIPP. et PLATON. decret. cap. 7. vtriusque ſententiam de innato calore T. I. p. 556. recenſuit: „GA„LENO auctore HIPPOCRATES ſemper ca„lorem innatum omnium naturalium operum „auctorem eſſe ait," et paulo poſt: „ab HIPP. „dicitur, quae augentur corpora, plurimum „inſitum calorem habent — ſenibus vero „parum ineſt caloris — cum frigidum cor„pus habeant ſenes, non ita acutis ſebribus „infeſtantur. Hic et in libro de Nat. hum. „in prima aetate hominem ait eſſe calidiſſi-

„mum,

„mum, ſicut frigidiſſimum in extrema, quae „eſt ſenectutis. — Inſito calore calidiſſimum „eſſe ſubſtantia nuper genitum infantem diximus. Propterea in Aph. quae augentur, inquit, corpora, plurimum calorem inſitum „habent."

Alibi, ſcil. Comment. IV. in L. VI. Hipp. de morb. vulg. Galenus explicuit, cur iis hominibus, quibus multum ineſt caloris natiui, pectus amplum et vox ſonora.

„Quoniam, ait ille, p. m. 264. cor ſtatim „ab initio, cum formatur in vtero, amplificatur, increſcitque illis, in quibus inſitus calor plurimus ineſt, ad cordis vero portionem „et pectus plerumque magnum efficitur, et „hoc iterum pulmonum magnitudo conſequitur, nec non et iſtis aſperae arteriae „magnitudo reſpondet, et huic plerumque „gutturis etc."

Poenitebit neminem vnquam legiſſe ea, quae Galenus paulo poſt l. c. de calore ventriculi docuit. Eius vero functionem recentiores ab irritabili natura pendere docent. Quam veritatem Galenus p. 365. aliis verbis ſic expoſuit: „illud etiam conſtat, in ventriculo ciborum concoctiones ab hoc inſito „calore exuberante, optimas fieri." Athleta-

rum

ım robur deberi calido innato, neque Hip-
ɔcrates neque Galenvs ignorauit.

Cor focum et lares ingeniti caloris appella-
it Galenvs l. c. p. 364. nec auſi ſunt re-
ntiores omnes, aliam caloris cauſſam in nobis
atuminare, quam cordis motum perennem.
:or enim, quam primum quieſcit, frigus ori-
ır, et motu cordis frictionis ope reſtituto, in-
ılefcere quoque incipit rurſus homo, mortuo
aulo ante ſimilis, vt non deſint exempla, pro
ıortuis fuiſſe habitos, qui aſphyxia correpti,
ınni calore priuati eſſent.

Redeo ad doctrinam, quam de morbis ſo-
di viui propoſuit. Etſi vero primo intuitu
eterum doctrina ſuper his rebus a recentio-
ım toto caelo diuerſa videatur, exactius ta-
nen comparata, non adeo ab iſta diſtat, vt
ulgo quidem credidere multi. Qui ſanguine
alido multo abundant, temperamento gau-
:ere valde irritabili, notiſſima res eſt. Ga-
envs vero eleganter ſatis docuit, coguoſcere
emperamenta hominum varia, cum ex ſucco-
um abundantia vel penuria, tum ex ipſa ſo-
dorum partium qualitate. Sciuit ille ſaga-
iſſimus vir et eruditiſſimus, ſi quis vnquam,
aetatibus ſingulis aliud temperamenti genus
proprium eſſe.

Cor,

Cor, ſiue praexiſtere dicas, ſiue formar momento conceptionis. certe primum mouetur, ac deinceps animaduertimus pulſare arteriarum truncos, et vltimo demum ramos, et cor denique in moribundis hominibus vltimo mori, notiſſima nunc quidem res eſt.

Incidit nuper in manus Schwalve, de alcali et acido, quo in libro legitur p. 229 „originale eſt vita cordi — pulſat et agitatur „ante neruos, venas — originalis vis mo„trix." Non inepte vero haec dicta ſunt, nam veriſſima ſunt, et teſtantur, ab omni fere aetate retro, non prorſus ignoraſſe anteceſſores noſtros veram principii vitae rationem.

Aliis partibus alium irritabilitatis gradum ineſſe, ſagaciſſimus noſter et experientiſſimus Hallervs primus omnium recte docuit vt adeo diuerſa functio diuerſarum partium omnino irritabilitati, quae in ſingulis partibus poſt mortem adhuc reſes, per experimenta cognoſcitur, tribuenda.

Iſtud vero phaenomenon non ignorauit Seculo XVII. auctor libri Satyrici, perſtringens puellarum laſciuiam, cum ſcribit: „v„*cor hominibus*, ſic feminis cunnum viuere „primum, et mori vltimum." Non melius autem rem potuiſſet verbis exprimere, ſ

legiſſe

legiſſet recentiorum dogmata phyſiologica. Non immerito etiam vetuſtiſſimus Philoſophus ſuo iam tempore vterum appellauit animal, quod in animali altero muliebri, vitam peculiarem viuit, quam ob cauſſam mulier omnem morbum bis patitur, cum nullo fere poſſit laborare morbo, in quo non adſit vteri cum caeteris partibus conſenſus. —

Sed recenſendae veniunt recentiorum temporum obſeruationes nonnullae. Occurrit memorabilis ille locus in Inſt. BOERHAVII Aph. 187., quo ille ait: „mirifica et occulta „eſt in corde fabricato procliuitas in reciprocandas ſyſtoles et diaſtoles vices, etiam a „morte, immo et in corde exſecto, denique „et in ſegmentis cordis diſſecti." Eſt mirum omnino, BOERHAAVIVM hanc cordis vim ſingularem bene cognitam habuiſſe, nec tamen deinceps ex ea vi ſola explicuiſſe cordis motum.

Eum locum commentariis ſuis eruditiſſimis illuſtrauit HALLERVS. Ex LOWERO aliisque iamiam allegauit obſeruationes de cordis reciproca palpitatione, euulſi etiam, poſt obitum hominis diu ſuperſtite, quae in frigidis animalibus, rana ſcilicet, anguilla, ſalmone, ſerpente, longe maior eſt, quam in hominis et brutorum corde.

Extat vero locus memorabilis apud LOWERUM de corde Cap. II. p. 69. et ſimiles obſſ. occurrunt in obſſ. colleg. Amſtelod. p. 29. Nolo hic repetere obſeruationes circa irritabilitatem cordis in animalibus variis ab aliis annotatas. Eorum enim ſummam ipſe HALLERUS in Elem. Phyſ. nobiscum communicauit, et nuper Cl. van GEUNS in diſſ. de eo, quod vitam conſtituit in corpore animali, Groningae 1758 habita, et nuper ab Ill. SANDIFORT Tom. III. Theſauri denuo publicata, qui pag. 538 et 39. ſedulo enumerauit obſeruata WEPFERI, DRELINCURTII et aliorum, et quae concernunt irritabilitatem ventriculi et inteſtinorum.

Id vero breuiter hic annotaſſe, non erit ſuperfluum, CICERONEM, de Nat. Deor. L. II. Cap. LIV. et LV. eleganter iamiam deſcripſiſſe motum periſtalticum inteſtinorum. Is vero loco priori ait: „in aluo „multa ſunt mirabiliter effecta, quae conſtant „fere e neruis. Eſt autem multiplex, et tor„tuoſa, arcetque, et continet, ſiue illud ari„dum eſt, ſiue humidum, quod recipit, vt „id mutari, et concoqui poſſit: eaque tum „adſtringitur, tum relexatur, atque omne, „quod accipit, cogit, et confundit: vt facile „et calore, quem multum habet, exterendo „cibo, et praeterea ſpiritu omnia cocta, atque „confecta in reliquum corpus diuidantur."

Loco

Loco poſteriori dicit: „quemadmodum re-„aliquiae cibi depellantur, tum adſtringen-„tibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud „ſane difficile dictu eſt.” —

Auriculam cordis dextram vltimo mori, HALLERVS ex GALENI admin. anat. L. VII. Cap. XII. ipſe docuit in experim. de cordis motu a ſtimulo nato, in Comment. Goett. T. II. p. 263.

Sed ſuperſunt et alia loca ex GALENO alleganda, olim a me omiſſa, iam vero indicanda, cum velim, vt nil quidquam deſit in hiſtoria mea irritabilitatis, e veterum monimentis collecta. Sanguis, GALENVS ait L. I. de Temper. Cap. 9. p. 29. „a corde „ſuum accipit calorem, quippe id viſcus na-„tura ſua — calidiſſimum eſt — Typographi culpa error irrepſit olim in theſi mea I, hic corrigendus. Exſtat ſcil. L. II. (non III.) GALENI, Cap. VIII. p. 481. locus ille, vbi ait: „Cor primum ante alia omnia animalis „membra formari dicunt. — Cor ſicut „omnium aliorum membrorum moueri pri-„mum incipit, ita vltimum deſinere” — Prolixe ibi diſputat, vtrum cordis motus a ſeipſo, an vero a cerebro, et num in corde alimenti principium ſit.

Cor eulſum adhuc moueri, bene ſciuit GALENVS de anat. adminiſtr. L. VII. cap. 4. p. 190. quanquam in eo errorem commiſerit, quod acrius diſputaret, cor muſculum non eſſe.

Longe plura loca ex GALENO meo, aliisque veteribus allegare quidem poſſem, quibus conſtat, veteres in doctrina de irritabili natura partium C. H. non rudes fuiſſe, ſed ſpicilegii loco haec quidem nunc ſufficiant.

BRONZERII librum, de calido innato, a me omiſſum, quemque nunquam vidi, MANGETVS nominauit in Bibl. med.

Alia forſan occaſione HELMONTII Archaeum cum doctrina de irritabilitate comparare non erit abs re. GAVBIVS, vir magni nominis, in Epiſt. ad HALLERVM datis, T. VI. bene monuit, Archaeum HELMONTII non adeo mereri ludibrio exponi, vt multi quidem credidere.

VII.

PROGRAMMA,

SVCCINCTA NARRATIO HISTORICA, DE MAGNETIS VIRIBVS AD MORBOS SANANDOS.

D. XI. IAN. MDCCLXXVIII.

AD DISP. CL. LEPORIN, DE HYPOPYO.

Quum nollem Candidatum, qui nuper fuit doctiſſimus Scholae noſtrae medicae Gottingenſis discipulus, dimittere ſine publica aliqua commendatione, placuit praefationis loco nonnulla praemittere, quae ſpectant fata virium magnetis ad morbos ſanandos. Magnes lapis integer externe admotus peruetuſtum remedii genus eſt. Etenim nunc quidem nemo fere ignorat locum *Aëtii*, collect. *Stephan.* p. 68. Cap. 25. quo ſcribit: "*tradunt detentum manu chiragricorum ac podagricorum dolores ſedare et conuulſis opitulari*," et quem mutuauit quoque *Weckerus*, in compilatione ſua ſecretorum L. V. p. 107. ed. Baſil. 1613. Sed plura apud veteres loca occurrunt, quae docent abunde, iam dudum ad varios dolores compeſcendos magnetis vſum fuiſſe cognitum.

 Sic

Sic legitur apud *Marcellum Empiricum*, col-
lect. *Stephan.* p. 253. locus ſequ.: „*Magnetes*
„*lapis, qui ferrum trahit et abiicit, et magne-*
„*tes lapis, qui ſanguinem emittit, et ferrum*
„*ad ſe trahit, colla alligati aut circa caput,*
„*dolori capitis medentur.*" *Gilbertus* quidem
anglus, libri de magnete auctor, L. I.
Cap. XIV. p. 33. dolores capitis omnes, vt
nonnulli volunt, ait, admotus magnes non
magis curat, quam ferrea caſſis, impoſita
aut ex calybe pileum. Sed nuperi conten-
dunt, magnetem artificialem non frigore ſuo
dentium doloribus mederi, ſed calefactum
prius, antequam admoueas, eundem praeſtare
effectum.

Ad capitis dolores item *Hollerius* magneti
vires laudauit.

Plinius Libro XXXVI. Cap. XVI. poſtquam
de magnetis generibus ſcripſiſſet, addit
„*Omnes autem ii oculorum medicamentis pro-*
„*ſunt ad ſuam quisque portionem, maximeque*
„*epiphoras ſiſtunt.*" Pertinet ea vis ad exſic-
cantem, non proprie ad magneticam, quae
ſui eſt prorſus generis. Promiſcue autem ve-
teres lapide haematite et magnete vſi ſunt,
et vtrumque lapidum genus inter emplaſtra
aliaque externa medicamenta receperunt. *Hel-*
montius talia pharmaca externa varia lauda-

ad curam herniae, ad abortum praecauendum, immo vt partus facile fiat, in magnetica vulnerum curatione, p. 706. ed. *Valentini* 1707. 4. Ad ſpicula demum ferri ex vulneribus attrahenda magni fecerunt olim, forma emplaſtri magnetem. Res multis ridicula viſa eſt, nuper vero demum *Guerin* in libello, *Tr. ſur les maladies des yeux* Lyon 1769 affirmat, magnetis ope particulam ferri ex oculo iterum fuiſſe eductam. Sit fides penes auctorem. Verum enim ſi fateri licet, admodum fallax videtur auxilium. Potuit enim ferri ſpicula rigida ſponte iterum ex oculo elabi, aut facta puris copia protrudi debuit, vt dubitare liceat omnino, eum effectum deberi magnetis viribus. Quaeuis enim illapſa oculum irritant, lachrymarum affluxum efficiunt, et ſic peregrina elabuntur. *Athanaſius Kircherus*, in libro, quem inſcripſit: magnes, ſ. de arte magnetica, opus tripartitum, Colon. 1643. 4. L. III. Cap. VII. p. 679 varia narrat ex aliorum relatione, de virtutibus medicis magnetis. Ex collo geſtatus magnes, ait, ſpasmum ſanare, ac neruorum dolores compeſcere, manuque detentus, partum accelerare perhibetur. Omitto lubens reliqua teſtimonia veterum de viribus magnetis. Ea enim, quae allegaui, teſtantur, ab omni retro aetate cognitam fuiſſe magnetis efficaciam in medendis morbis. Non mirum itaque recentiori aetate, poſtquam

per experimenta in dies magis cognitam haberent Phyſici vim lapidis illius mirabilis, magna expectaſſe ab eius efficacia medicos.

Quis enim non miratur illud naturae miraculum, quod docet magnes, attrahens incredibile fere pondus. *Kuhnio* teſte in diſſ. de Magnete, poſſidebat olim Dux Hetruriae magnetem ponderis librarum nouemdecim, qui attraheret et ſuſtineret pondus librarum ſexaginta quinque. *Gmelinus*, auctor fide dignus, narrat in itineris parte quarta p. 41?. ſe vidiſſe magnetem ponderis librarum tredecim, qui auidiſſime ad ſe raperet ponderis Ruſſici libras quadraginta. Miraculum augent, quae Phyſicis innotuere obſeruationes de magnete artificiali. Qui ſcire cupiat, quam ingens pondus magnes artificialis ad ſe trahere, et ſuſpenſum tenere poſſit, is euoluat ſummi Phyſici *Muſſchenbroekii* introductionem ad Philoſophiam naturalem T. I. L. B. 1762. §. 988. quae docet, mirum in modum vim eam augeri poſſe, adeo vt ſimilem vim non inuenire liceat in vniuerſa rerum natura. Non male itaque magnes a. b. *Saltzmann* in diſſ. Arg. 1648. habita, Herculeus appellatur lapis, nec inepta Phyſicorum eſt coniectura, quodcunque corpus tamquam magnetem conſiderari poſſe, propter Atmoſphaeram quandam, quae quodcunque corpus denſum circumdat. Chemico-

rum experimenta et obſeruationes de affinitate, vt vocant, corporum, ſimile quid docent.

Poſtquam vero recentiori aetate ſimilitudo vis electricae cum magnetica, quam *Aepinus* libello peculiari exactius deſcripſit *), innoteſceret, magna ſpes affulſit, non fruſtra adhibitam iri vim magnetis ad morbos ſanandos. Eam vim ſenſibus percipi poſſe, iam dixerat *Quelmalzius*, in diſſ. de magnete §. 5. Is enim ait, ſi imponatur dorſo manus limatura martis, et magnes admoueatur, ſentiri aurae frigidae ſenſationem quandam.

Accedit altera probabilitas virium magnetis, particularum ſcilicet copia, quae ferri naturam aemulantur, in ſanguine noſtro deliteſcentium, quam in altera Phyſiologiae editione iterum nouis argumentis probauit b. *Hallerus*, breui ante obitum tempore.

Argumenta itaque non deſunt, quae fidem faciunt, non absque effectu adhibitum iri magnetem inprimis artificialem. Sed experimentis alii rem confirmare voluerunt. *Klaerichius* noſter, Poliater clariſſimus, publici iuris fecit obſeruationes in promtuario Hanno-

 verano

*) Eſt mihi ad manus verſio germanica: *Rede von der Aehnlichkeit der electriſchen und magnetiſchen Kraft. Leipz. 1760. 8. mai.*

verano 25. *St.* 1765. Relationibus Gottigenſibus 89. 1765. et 1766. p. 1226. Scribit vero, ſe obſeruaſſe calorem, pruritum, dolorem pungentem, palpitationem et ſenſum tenſionis in aegrotorum auribus, immo ſudoris meminit, ab vſu magnetis artificialis.

Laudauit in dentium dolore chalybem viribus magnetis impraegnatum cl. *Teſke* 1765. libello peculiari Regiomonti edito. Sequitur ex ordine cl. *Franc. Ern. Glaubrecht*, qui Argentorati 1766. edidit diſſ. cui titulus: analecta de odontalgia, eiusque remediis variis, praecipue magnete, cuius epitome habetur in Relat. Gotting. 67. *St.* ei anni. Is quidem non multum laudat, at non prorſus negat efficaciam auxilii huius. Concedit enim profligaſſe quidem dolorem, ſed eadem die rediiſſe iterum, monet.

Paulo poſt cl. *Chph. Weber*, in libello peculiari efficaciam magnetis artificialis depraedicauit in morbo oculorum ſingulari, edito Hannov. 1767. cuius etiam recenſus legitur in Relat, Gotting. 148. *St.* anni 1766.

Sed iam antea, ſcil. 1761. in diario gallico, cui titulus: Gazette ſalutaire, mentio facta erat, ope magnetis integri lapidis, cuius pondus erat vnciarum octo, brachio vtrique alligati, ſanatam fuiſſe epilepſiam.

Gottin-

Gottingae fidem fecerant viri excellentiſſimi *Kaeſtnerus*, Relat. Gotting. 1765. S. 252. et *Hollmannus* l. c. S. 777. magnetem non fruſtra adhiberi, ſed dolorem dentium ab eius applicatione profligari.

Sequebatur iam cl. *Reichel*, qui in diſſ. de magnetiſmo in C. H. reſp. *Ludwig*, Lipſ. 1772. ex inſtituto de eo egit. Haec geſta erant, cum Viennae 1774. nouis tentaminibus factis inclareſceret cl. *Mesmer*. Nouellae litterariae, quae Gothae a viris doctis elaborantur, ſummam continent cum eorum, quae ipſe cl. *Mesmer* tamquam noua inuenta ſibi tribuit, tum quae aduerſarii eius ſtatim monuerunt.

Nuperrime prodiit Lipſiae apud Hilſcherum 1778. collectio relationum curae magneticae, a *Mesmero* inuentae, vnacum aliis animaduerſionibus in eam, forma octaua. Prodromi inſtar nouae huius medendi rationis, haberi debet eius viri diſſertatio inauguralis, quam coram habeo, de Planetarum influxu, habita Viennae 1766. quae antiquam hypotheſin denuo renouauit. Inuenit cenſorem et aduerſarium cl. *Mesmer* cel. nunc Prof. Buczouienſem *Graumannum*, cuius diſſ. quae perſtringit *Mesmeri* noua inuenta acri cenſura, recenſitam legimus, in b. *Erxlebenii* bibliotheca phyſica,

ſica, et cl. *Weberi Auszügen aus Diſſ. B.* et in nouellis Halenſium *St.* 26. A. 1776.

Mesmeriana illa noua tentamina effecerun vt alii etiam pericula facerent, quid ſtatuei dum ſit de hoc auxilii genere.

Habemus coram cl. *Boltenii* Phyſici Ham burgenſis, *Nachricht von einem mit dem künſt lichen Magnete gemachten Verſuche in einer Nervenkrankheit,* Hamburgi 1775. 4t. mai. et eodem anno continuationem eius relationis. Eodem fere tempore prodiit cl. *Unzeri Beſchreibung eines mit dem künſtlichen Magneten angeſtellten Verſuchs* Altonau. 1775. 8. et cl. *Heinſii*, Phyſici *Sagani*, *Beytrag zu den Verſuchen mit künſtl. Magneten in verſch. Krankheiten* Lipſ. 1768. 8. qui quidem duo poſteriores narrant obſeruationes, quae magneticae curae, ſi non prorſus fauent, tamen docent, eam non fruſtra prorſus adhiberi.

VIII.

VIII.

PROGRAMMA,

DE ABVSV SANGVINIS MISSIONIS IN VARIIS MORBIS.

D. X. MART. MDCCLXXVIII.

Princeps atque heroicum auxilium in arte
oſtra conſtituit ſanguinis miſſio. Sanantur
norbi rebelles arteriotomia. Praeſtat ſcariſi-
atio et cruentarum cucurbitularum applicatio
ariis locis. Hirudinum vſus et venarum ani
urgidarum inciſio mirifice iuuit aliquando.
anguinis miſſio e vena ſecta, larga, ex orci
aucibus ſaepius eripuit morti iam proximos;
poplexia aliisque morbis, quorum euentus
raeceps eſſe ſolet, correptos. Vix vnquam
era pleuritis absque ſanguinis miſſione ſanatur,
t perperam Haemophobi, ſanguinem ti-
nentes, Helmontivs aliique, negantes
lethoram et vtilitatem ſanguinis miſſionis, con-
rariam ſententiam ſtabilire auſi ſint.

Memini me olim vidiſſe mulierem ruſtici,
oroſi habitus corporis et valde plethoricam,
epilepſia

epilepſia vehementiori correptam. Quam primum vena inciſa eſſet, confeſtim menſtrua fluere incipiebant, antea obſtructa, et illico ceſſare animaduerti, nec vnquam redire, epilepticos motus. Sed ruſticorum veſana ſanguinem mittendi ratio iam effecit, vt prouerbium inde deſumerent alii. Non minor fuit quondam audacia medicorum Gallicae gentis, quam ruſticorum Germaniae. Non didicere enim ſanguini parcere, ſed largiter et infantibus et adultis ipſis, lanionum fere inſtar, ſanguinem mittendum eſſe, iubebant, audacia nimia, quam nemo vnquam in Germania probauit.

Prudentia ſane laudabili hanc ineptam doctrinam de ſanguine copioſe mittendo nuper damnauit TISSOTVS, vel eam ſolam ob cauſſam amabilis vir, et princeps ornamentum medicorum, qui Galliam vere ornant. Recte nimirum docuit in elegantiſſimo libro, quem inſcripſit *Avis au peuple*, vnicam ſaepe et praepoſtere inſtitutam ſanguinis miſſionem, in iuvenibus tantam copiam cruoris exhaurire, vt niſi damna inde oriri videas grauiora, tamen pallorem obſerues, quem nulla ars per omnem vitam emendare queat. Axioma ſtabilitum fuit a temporibus inde ſummi BOERHAAVII, cuius doctrinam defendendi omni data occaſione, princeps noſtrum erit ſtudium, nimis frequen-

frequenter inſtitutam ſanguinis miſſionem fecundam euadere plethorae genitricem. Adeo certa res eſt, vt laniones ſaginae loco vitulis ſanguinem ſaepius mittere ſoleant in Anglia, quae in augenda copia rerum edulium adeo ferax. Noſtrum nunc erit probare, non impune ſaepius adminiſtrari ſanguinis miſſionem in variis morbis. Nemo fere ignorat diſtinctionem in ſcholis receptam, inter plethoram veram, et ſpuriam, ſiue vt vocant, ad vaſa et vires mouentes. Expanſio vaſorum, quae mirifice ſaepius a ſanguine, ſed nimis tenui, ſeroſo, turgent, non raro veram mentitur plethoram, quo in caſu ſanguinis miſſio corporis debilitatem auget. Sed vſus peruuiani corticis eam debilitatem tollit, vaſa coarctat, et quaeuis incommoda absque ſenſibili euacuatione aufert. Redit robur, functionum vigor, facies antea pallida nunc fit laete rubicunda, pulſus euadit ſano ſimilis, redeunt menſtrua antea ſuppreſſa, haemorrhoides quoque fluere incipiunt, et corpus ab omni muco ſpiſſo liberatur.

Sanguinis eiusque cruoris inprimis iactura peſſime nocet debilibus et ſenſibili corpore praeditis hominibus.

Senſibilitas illa ſingularis hypochondriacis et hyſtericis hominibus adeo familiaris, immo ſatis moleſta, ſaepius eſt nihil aliud, quam effectus ſanguinis miſſionis nimiae, et recte dixere

dixere alii, malum hypochondriacum ſaepe originem habere a ſanguinis miſſione praepoſtere inſtituta.

Sunt varii morbi, in quibus nocet ſanguinis miſſio, alii vero qui per ſanguinis miſſionem exaſperantur.

Sunt haemorrhagiae, quae a plethora ſola oriuntur, in quibus peſſime nocet frequens ſanguinis miſſio. Haemoptyſis huc inprimis pertinet. Noui haemoptoicum, qui ſingulis fere quatuordecim diebus ſibi ſanguinem mitti curaret. Sed ab eo tempore, quo ſaepius mitteret ſanguiaem, ſaepius etiam rediit haemoptyſis, et cum deinceps, me ſuadente, rarius venam ſibi ſecari curaret, rarius et poſt longiora interualla demum ſenſit haemoptyſeos redeuntem paroyxſmum.

Non abſimili modo ſanguinis miſſio nocet in effrenata quacunque haemorrhagia, quae a vaſorum ſpaſmis vehementioribus oriri ſolet. Nocet enim augendo ſpaſmos, non ſecus ac vſus praematurus adſtringentium, a quibus vulgo vaſorum ſpaſmi vehementer augeri ſolent. Non diſpar eſt ratio effectuum praepoſterae ſanguinis miſſionis in conuulſionibus. Neque ſemper a vera plethora conuulſiones et ſpaſmi oriuntur, neque praeſente illa ſpaſmis et conuulſionibus medetur ſanguinis miſſio.

Vaſa

Vaſa enim ſubito facta ſanguinis miſſione depleta, ſubito ſeſe vehementius conſtringunt, atque adeo malum ipſum augetur. Quare ſapientiſſimum conſilium iam ſuo tempore dedit Fr. Hoffmannvs, omnino medicorum Germaniae princeps ornamentum, ſanguinem non mitti debere in ipſo paroxyſmo, et dum durat vehementia dolorum ac ſpaſmorum, ſed potius finita tragoedia, extra paroxyſmi tempus.

Facilius errant iuniores medici, illis qui in artis exercitio iam bene verſati. Pulſus durus a ſaburra primarum viarum et ventriculi inprimis, ſaepe mentitur grauem ipſius ventriculi inflammationem, quae vero non adeſt. Eo in caſu ſaepius mirifice praeſtat emeticum, quod ventriculum a ſaburra liberat, qua euacuata pulſus antea durus, , contractus, mox euadit liberior, nec adeo durus manet, ſed potius mollis fit, plenus ac regularis. Longe rarius enim vera ventriculi inflammatio in praxi occurrit, quam quidem iuniores medici putant. Haec monita non ſunt noſtra, ſed viri ſummi, noſtrique in cathedra practica anteceſſoris, et de vniuerſitate noſtra bene meriti, b. Brendelii, e cuius ſcriptis nos multa didiciſſe, cur non dicamus, neſcimus.

Peſſime nocet in omni caſu, in omni febre inter initia eius, praeſente magna colluuie im-

purorum ſuccorum in primis viis, miſſio ſanguinis, niſi grauis ratio eam ſuadeat.

Haec valent de omnis generis febribus, bilioſis ſimplicibus, gaſtricis, ſynochis denique ipſis. Quod noceat, non admodum difficili negotio cognoſcitur. Auget ſcilicet debilitatem febris, promòuet impurorum ſuccorum ad ipſam ſanguinis maſſam reſorptionem, et centum alia damna producit.

Non ignoro equidem, dari mixtum febrium genus, e genere bilioſarum, ſimulque inflammatoriarum, quo in caſu inter initia ſtatim ſanguis mitti debet, deinceps vero ſtatim exhibenda eſt medicina emetica. Sed caue, ne exiſtimes, quamcunque febrim bilioſam ſimul eſſe inflammatoriae indolis. Eae enim ſpecies bilioſae febris, quae vulgo pleuritis bilioſa, angina bilioſa appellantur, ſaepius mentiri ſolent partium laborantium vehementem inflammationem. Sed nihilo minus vnicum emeticum, iuſto tempore et mature ſatis exhibitum, illico aufert grauem lateris vel colli dolorem. Eſt alia pleuritis, quae quoniam a vermibus naſci ſolet, verminoſa in ſcholis medicorum appellatur. Ea remedia, quae vermes expellunt, eo in caſu longe praeſtant inepta ſanguinis euacuatione, quippe quae et hoc morbi genus peſſime auget. Sunt denique affectiones e genere rheumatiſmorum frigidorum

gidorum, quae neutiquam ſanguinis miſſione ſanantur, ſed epiſpaſtica deſiderant et regimen paullulum calidius.

Pauperioris ſortis et conditionis homines rariſſime vera laborant plethora, hinc in eorum morbis rariſſime tantum adminiſtranda eſt ſanguinis miſſio. Per illud quinquennium, quo Gottingae clinici collegii cura mihi demandata fuit, vix contigit vnum videre aegrotum vera pleuritide laborantem, e plebe ſcilicet, ſed tres tantum obſeruaui pleuritide bilioſa laborantes, quibus ſanguis eſſet mittendus, propter toroſum corporis habitum, verae plethorae ſigna, et ſimul reliqua bilioſam pleuritidem comitantia ſymptomata. Peccatur intra Iliacos muros et extra. Sciendum eſt itaque, omne nimium in vitium verti. Diſplicet, nam vere nocet, nimia ſanguinis miſſio in ipſa pleuritide vera, vulgo inflammatoria et congeneribus morbis. Non eo vsque mitti debet ſanguis, donèc prorſus diſpareat cruſta illa coriacea ſanguinis, quae vulgo pleuritica audit. Hoc enim foret nimium, ſatis eſt enim tantam ſanguinis copiam, e vena ſecta emiſiſſe, vt pulſus incipiat fieri mollis. Nimia enim ſanguinis educta copia certe criſis per ſputa turbari, immo euerti ſolet. Et hoc quidem ſingulis euacuantibus, nimium adhibitis, commune eſt. Eſt medi-

cus dominus naturae, ſed non debet obliviſci, ſe quoque eſſe naturae Miniſtrum. De coctionum praeſidiis euacuantium abuſu euerſis, ſolide atque docte diſputauit olim alter antecesſorum meorum, b. RICHTERVS, dum viueret adhuc fautor meus ſingularis, ſed nunc deſideratiſſimus. Seriorem in morbis euacuationem, immo ſanguinis miſſionem ipſam, ſubinde ſalutarem, immo valde neceſſariam iudico, ſed

Sunt modi, ſunt certi denique fines,

nec vltra limites veritatis, ab HIPPOCRATE iamiam ſtabilitae, neceſſitas mittendi ſanguinis extendenda erit.

Amamus heroica et efficacia auxilia, e quibus eſt princeps fere iuſto tempore inſtituta ſanguinis miſſio. Ea minuit inprimis vim vitae excedentem, eamque ob cauſſam mox promittit leuamen ſymptomatum. Amouet ab altera parte impedimentum, quod viribus obeſt, plethoram ſcilicet, adeoque in eo caſu vim vitae auget, eiusque praecipuum effectum, pulſum ſcilicet. Sed ſatis eſt, et vela ſunt contrahenda Damna quaedam praepoſtere inſtitutae ſanguinis miſſionis percenſuit Cl Candidatus, qui nunc a nobis commendandus eſt, et cuius ſolennem panegyrin indicendam habemus.

IX.

PROGRAMMA,

GONORRHOEAE AB AMORE MERETRICIO VIRVS VENEREVM DEFENSVM.

D. VIII. MARTII MDCCLXXVIII.

Sunt quaedam ſtudii noſtri pathologici capita, quae prae ceteris opinionum commentis conſpurcata fuere. Quem fugit enim, vt in paucis ſubſiſtam exemplis, mira viciſſitudo hypotheſium de febribus, dyſenteria, ſcorbuto, epilepſia, malo hypochondriaco, et de morbis venereis omnis fere generis. In his emendandis recentiorum induſtria diu occupata fuit. Venereae indolis morbos quod attinet, ſaepe miratus ſum auctorum diſſenſum. Qui gallico inprimis ſermone, eoque patrio ſcripſere, immo et alii non pauci, fere omnes inter ſe diſſentiunt et quod notari meretur, alter ſcriptorum alterum acri cenſura perſtringit, ſinguli autem fere omnibus, qui antea de eodem morbo ſcripſere, ignorantiam ſummam exprobrare ſolent, ſimulque quisque ait, ſe diuino afflatu et miſericordia generis humani impulſum,

ſum, velle nunc reuelare nobis illorum morborum veram naturam et indolem, nec non optimam medendi rationem, quam antea intellexerit nemo ad hunc vsque diem. Haec omnia adeo mirifice ſonant, vt quaſi e tripode dicta eſſe videantur. Non opus eſt aſſertum noſtrum teſtimoniis confirmare. Euoluat quaeſo, qui velit, libellum vnum et alterum de gonorrhoea ſcriptum, et legat ſaltim praefationem, nec amplius de veritate dictorum dubitabit. Non ſine voluptate leguntur, quae multi ſcripſere. Mirari enim licet vaniloquentiam auctorum, qui buccis inflatis proprias laudes extollunt, operis ſui praecones egregii exiſtunt, peſſimeque damnant, quae alii ſcripſere, immo nec lectu digna iudicant. Poſtquam tot vaſta volumina et minoris molis libelli de gonorrhoea maligna prodiiſſent, e nuperis placuit nonnullis, nouam ſtatuere ſententiam, gonorrhoeam ſcilicet, quae amoris meretricii donum eſt, ab omni venerea labe prorſus eſſe immunem, nec iratae veneris ſobolem.

Gaudete itaque veneris nepotuli, rariſſime etenim ſcortum diobolare vobis communicat virus venereum et luem ipſam. Quod enim quaeque non habet, dixere noui ſacerdotes veneris *), dare non poteſt. Sciatis itaque, go-

*) Heinsius olim ſcripſit ſacerdotem Veneris vexatum, librum ſaepius editum.

gonorrhoeam, quae toties veſtri laboris merces, eſſe ſingulare morbi genus, quod neutiquam virus venereum progenuit, hoc enim rariſſime contingit, nec niſi eo in caſu, cum gallico morbo ſimul laborat meretrix. Errauere paties, et nos errauimus omnes. Complicatus eſt morbus, non ſimplex, ſi ex vulgiuaga venere lues oritur. Sed antequam nouam hanc doctrinam examini ſubiiciamus, ſtatim monenda ſunt varia. Concedamus, veram eſſe hanc doctrinam, nouiſſime excogitatam, duplex genus gonorrhoeae, quam more recepto liceat appellare malignam, dari, *ſimplicem* aliam absque omni peſtilitate venerea, *complicatam* aliam, in qua ſimul adeſſe virus venereum concedant, quaenam ſunt quaeſo ſigna illa diagnoſtica, quae docent diſcrimen? De his enim altum eſt ſilentium, et patroni nouae huius hypotheſeos non cogitarunt, non haberi ſigna diagnoſtica, quae vnam ſpeciem ab altera accurate ſatis diſtinguere ſufficerent. Memini me legiſſe nouam doctrinam, quae aſſerit, vix dari eius generis ſigna, ſtillicidium ſcilicet materiae ſpurciſſimae, ardorem, balani eroſionem, probare nihil — nec teſtari, virus venereum a meretrice accepiſſe ſcortatorem. Benignitatem, ſit verbo venia, vt extollerent gonorrhoeae malignae, anxie deſudarunt, vt quaeuis ſigna dubia redderent, quae vulgo virus teſtari dicebantur. Nouum

ſane genus philoſophandi, quod iubet dubiam reddere diagnoſin gonorrhoea maliguae, vt valde dubiam benignitatem nouo argumento, ceu veram defendere queant. Hoc erat inprimis in votis, vt nouae doctrinae fabri, nos edocerent ſigna illa, quae malignam gonorrhoeam veterum a gonorrhoea hac noua diſtinguant. Sed hi ſagaciores, immo ſagaciſſimi, callide docent, malignae verae gonorrhoeae vere nulla dari ſigna, ſed ſingula benignae, a nullo contagio virulento ortae, aeque eſſe communia.

Poſt tempora doctiſſimi Astrvc nemo ignorauit, niſi rudis et hoſpes in arte noſtra, gonorrhoeam inter initia ſtatim eſſe ſpeciem inflammationis, atque a ſtimulo, irritatione, dolore in vrethra, explicanda eſſe varia morbi recentis adhuc ſymptomata, teſticulorum nempe tumores inſignis ſaepe magnitudinis, et glandularum inguinalium ſimilem tumorem, nec docere haec phaenomena ſemper metâſtaſin quandam et reſorptionem miaſmatis venerei. Perperam accuſari eam metaſtaſin ſaepe, cum oculi laborent vehementiori ophthalmia, alii monuerunt, nam ſaepe accidit, vt cum non ſine dolore et triſtitia digitis exprimere vellent aegroti virus ex vrethra propullulans, et lacbrymae copioſe manarent, digitus improbus oculis ipſis illiniret virus. — Nemo ignorat hodie, rarius vlcus in vrethra adeſſe, nemo ignorat praeſtantiam methodi

methodi antiphlogiſticae, quam diu malum recens, vt nec ſpecificis, nec mercurio opus ſit, quippe cuius praematurus vſus magis nocet, quam prodeſt. Docuere pathologi, non adeo facile timendam eſſe luem ipſam, modo excretio materiae virulentae non cohibeatur adſtringentibus aut regimine. Sed nemo docuit, haec omnia probare innocentiam gonorrhoeae. Sunt plura miaſmatum genere, de quorum veritate dubitat nemo, quae ſola methodo generali, non ſecus ac gonorrhaea, ſine omni ſpecifico ſanantur. Quis quaeſo ignorat naturam et indolem variolarum, quae ſpecie et ſymptomatibus adeo mirifice ludunt. Nonne benigniſſimae, maligniſſimae, verrucoſae, confluentes, cryſtallinae, et quae ſunt reliquae ſpecies, ſibi adeo diſſimiles vnum idemque miaſma pro cauſſa agnoſcunt, vt omne diſcrimen a varia diſpoſitione corporum repetendum ſit, et non vna omnibus medendi ratio conueniat. Axioma ſtabilitum erat, non eandem poenam luere ſcortatores omnes, ſed ſortem illorum eſſe variam. Diſpoſitio enim corporum, et virus ipſum, quod non vnius eiusdemque indolis ſemper, efficere ſolent, vt morbi natura eiusque ſymptomata longe aliam faciem induere queant. PANDORAE pyxis non potuit tot venena ſpargere, quot vulua ſpurciſſima noſtris temporibus diſſeminare valet. Proſtibulum ſaepe amatoribus ſuis longe plura

 mala

communicare ſolet, quam quibus ipſa punitur. Ipſi defenſores nouae doctrinae hanc veritatem non ignorant, ſed bene ſciunt, plures iuuenes, qui ſcortum idem ſibi elegerunt, diuerſimode nunc hoc, nunc illo ſymptomate contaminari. Vt meretrices nunc magis minusue in arte celebres, exercitatae, ita variis donis amatores infelices beare ſolent. In aliis vero infectis longe citius oritur balani eroſio, in aliis profundius penetrat virus, ad celluloſum vsque corporis vrethrae contextum; in aliis denique citius magis ſerpit malum, et breuiſſimo temporis ſpatio proſtatam ipſam miſere exulcerat, in quibusdam vero faucium exulceratio nunc citius, nunc tardius luem praeſentem declarat. Antiqua ſententia et doctrina ſimplicitate ſua placet, nec non eius ope quaeuis ſymptomata facili negotio explicari poſſunt. Noua ſententia tertia ſpecie auget numerum morborum, quae libido amplificandae pathologiae poſt tempora Francisci Boissier de Sauvages tot commenta et nouas ſpecies morborum, nullius momenti vel vtilitatis in praxi peperit. Extra Germaniam parum innotuiſſe videtur hypotheſis apud noſtrates excogitata, gonorrhoeam malignam et fluorem album malignum, poſſe oriri absque miaſmate venereo. Ea hypotheſis legitur expoſita in diſſ. praeſide Boehmero habita, de fluoris albi benigni in malignum tranſitu, ſine praeuio contagio,

Hal.

Hal. 1761. et in alia diſſ. praeſ. Cl. Kemme, reſp. Milloradovics, ibidem habita 1768, cui titulus, de innocenti infectione venerea. Tubingae 1764. praeſide Cl. Sigwart. reſp. Io. Fr. Closs, ſimilis argumenti diſſ. prodiit, de gonorrhoea virulenta ſine contagio nato, nec multum differt hypotheſis, quam fouit b. Hvndertmarck in progr. de Ozaena venerea Lipſ. 1753. Recenſiti auctores ne quidem coitum ſemper accuſant, tanquam morbi cauſſam, nouae autem theoriae fautores coitum appellant cauſſam gonorrhoeae omnium trium ſpecierum, benignae vulgaris, benignae alterius, quam nuper excogitarunt, tertiae, in qua ſimul virus venereum reſorptum ſtatuunt.

Sed redeamus. Non videtur Cl. Balfovr luem veneream ab eodem miaſmate gigni, quod vulgo gonorrhoeae cauſſa dicitur, ſed duplicis generis ſtatuit miaſma. Sed moneo eodem iure poſſe defendi plures ſpecies miaſmatis luis venereae ipſius, nam non adeo differt gonorrhoea ab ipſa lue, quam quidem eadem lues in diuerſis hominibus, nam multi per annos lue laborant ſine tortura nocturna, ſine gummate gallico, aliisque ſymptomatibus, quibus mirifice ludit lues. Infectio recens et peruetuſta ſibi admodum diſſimilis, immo toto coelo diuerſa apparet. Miaſma variolarum primis a contagio diebus nullis fere ſeſe manifeſtat

niſeſtat ſymptomatibus praeter languorem, tempore vero ſuppurationis peſſima et lethalia ſymptomata apparent, haec ſaepe prorſus deſunt, nec morbus ſui veſtigia relinquit, an itaque in hoc morbo duo miaſmatum genera ſtatuenda ſunt? Nam benignae ſibi ſimiles, malignae quoque ſibi ſimiles. Sanationem gonorrhoeae recentioris absque mercurio, probare nihil pro innocentia morbi, iam ſupra monui. Etenim plura miaſmata aeque absque mercurio aliisque heroicis ſanantur. Potus copioſus varia miaſmata diluit, horumque malignitatem valde infringit atque coercet, licet miaſmatum natura longe diuerſa ſit. Non mirum itaque, vſu diluentium et temperantium, potus copioſi, ſimulque mucilaginoſi, corrigi, emendari et fere inſenſibili excretioni eliminari miaſma, quod ex impuro coitu reſorptum fuit in vrethram, quamdiu ibi adhuc haeret. Non magni facio argumenta, cum diſſenſum auctorum, qui ex primis nobiscum communicarunt hiſtoriam morborum venereorum, nobis obtrudunt. Gonorrhoea illa, quam nouae ſententiae auctores absque miaſmate venereo per coitum propagari defendunt, certe aliam originem ipſi non ſtatuunt, mira res eſt profecto. Morbus qui ſui ſimilem contagio producit, absque omni miaſmate cogitari nequit. Miaſma itaque agnoſcere debent patroni theoriae nouae, niſi negare velint

int omnia ea, quae hactenus in pathologicis docuere medici omnes. Scortatio enim ſola eſt cauſſa eius gonorrhoeae, nec niſi ſcortatores et meretrices hoc morbo corripiuntur, ſibi ſemper ſimili, et cuius praecipua ſymptomata ſunt dolor, ardor, dyſuria, bubones atque teſticuli tumidi ab irritatione. Sed quaenam quaeſo eſt cauſſa irritationis et ſymptomatum omnium, ſi miaſma prorſus negare velimus. Immo non negant, ſed potius duo genera aſſumere coguntur. Ridicula multa et abſona docuiſſe, qui primo nobis communicarunt venereae luis hiſtoriam, quis negat. Ignotum fuiſſe morbum ante annum 1494. plura ſunt argumenta, quae rem confirmant, in dubium quidem vocata a nonnullis, ſed quid non in dubium vocarunt nonnulli. Quod autem pace horum dictum ſit, *diſſenſus* non eſt ſolida *refutatio*. Quidquid nuperis non placet, hoc negant et pernegant. Quam anxie quaeſita ſunt argumenta illa, gonorrhoeam longe ante luem notam fuiſſe — et cum haec non ſufficere viſa ſint, contrariam audacter ſtatuunt ſententiam, nempe diu notam fuiſſe luem, antequam gonorrhoea innoteſceret.

Eximia ſane benignitas gonorrhoeae, cuius meminit BETHENCOVRT. Iuuenis laborabat iamiam per annum integrum et dimidium gonorrhoea virulenta, quam venereo certamine con-

contraxerat, aderat chorda et dyſuria venerea, et tamen haec gonorrhoea appellatur benigna, atque validum argumentum dicitur, quod quemcunque conuincere poſſet, aegrotum non fuiſſe venereum. Permutatio illa leprae in luem gallicam, quae multis adeo vehementer placet, valde adhuc dubia eſt. Surinamenſes noſtra aetate complicato morbo, lepra et lue gallica laborant, et morbus ille, quem YAWS vocant, ſoboles luis vtriusque appellari meretur. Quod gonorrhoea ſaepius absque lue, eam ſequente iterum euaneſcere ſoleat, argumentum dicunt, quod nemo refutare valeat. Sed interrogo, quo argumento velint probare, non eliminatum fuiſſe profluuio miaſma? Aduerſarii affirmant, ſe non intelligere, cur non noceat gonorrhoea, ego vero non perſpicio, cur ſemper luem gignere debeat. Gonorrhoeam maligniſſimam per plures annos nonnunquam non ſerpere, non in luem degenerare, iam diu annotatum legimus.

Vlcera faucium, quae omnium conſenſu a miaſmate venereo orta, ſaepe plurium annorum ſpatio non ſerpunt. Vnicum ſaepe ſymptoma luis adeſt, reliqua vero ſingula deſunt, et nihilo minus affirmant omnes, aegrotum lue laborare. Quaedam luis ſymptomata rariſſime occurrunt hodie in regionibus qui-

ibusdam. Gottingae non rara eſt occaſio olligendi obſeruationes de lue, et vidimus cera faucium, immo vuluae venereae, vimus ſcabiem, condylomata, ſed rariſſime pud nos occurrunt nodi, tophi, gummata allica, et quae ſunt reliqua ſymptomata diriſmi illius morbi.

Sola victus ratio et aeris atque loci condio, praecipuae cauſſae videntur, cur mereices et ſcortatores apud nos non peſſimis mnibus ſymptomatibus corripi animaduerre liceat. Arthritis venerea et vlcera aritica originis venereae plebem noſtram diſſime vexare ſolent, vt iuſta ſit nobis ſuſpio in morbis arthriticis, miaſma luis, non orſus extinctum horum malornm eſſe cauſm. Sola potione mercurii SWITENIANA mnis generis morbos chronicos perſanauius, et edocti ſumus, ex ſcortatione, goorrhoea, fluore maligno, frequentius longe ios morbos quam luem ipſam inualuiſſe. on magni itaque facienda eſt animaduerſio la, rarius ex gonorrhoea oriri luem, eam ique non eſſe venereum morbum Virus enereum nutrici per infantem ſuctione et ctatione communicatum, vlcus latum circa apillam haud raro efficere ſolet, non vero omni caſu his vniuerſalis euadit cauſſa. dem de vlceribus faucium quotidie animad-

vertere

vertere licet. Quae contra reſorptionem nuper dicta ſunt, magis ſpecioſe excogitata videntur, quam veroſimilia. Si enim in ea gonorrhoea, quam benignam eſſe volunt, reſorptio nulla, non intelligo, qua ratione communicetur virus humoribus, quod in gonorrhoea venerea ipſi agnoſcunt aduerſarii. Longe plura reſtant dicenda, ſed filum abrumpere cogor.

Praenob. Candidatus, cuius panegyrin indicendam habemus, antiquam quoque defendit ſententiam a miaſmate latente venereo poſſe oriri varios morbos, qui longe alia ſpecie, quam luis manifeſtae, appareant.

X.

PROGRAMMA,

DE OCVLORVM MORBIS, SINE OPHTHALMICIS SANANDIS.

D. XXV. MART. MDCCLXXVIII.

Peruetuſta eſt opinio, quae a priſcis temporibus inde multorum occupauit animum, haberi ad oculorum morbos eximia remedia, quae ipſis oculis applicata, et eam ob cauſſam ophthalmica dicta, caeteris omnibus palmam praeriperent. Ocularii dicebantur medici, qui remediis variis externis ſanabant oculorum vitia. Superſunt paſſim priſca illa monimenta, ex quibus, qui fuerint olim ocularii, hodie conſtat. Plura qui de illis ſcire cupiat, breuitatis ſtudio eum moneo euoluat Exc. Io. Ern. Im. Walchii, libellum, de ſigillo medici ocularii Romani, in agro Ienenſi reperto, qui prodiit Ien. 1763. et iunctim cum aliis, in Ej. Antiquitat. med. De variis veterum medicorum Collyriis, quorum memoria in priſcis lapidibus inſcriptis adhuc ſupereſt, docte, vt ſolet, in progr. ſinguſari egit Ill. Triller, vir annis, me-

M ritis

ritis et praeclara eruditione conſpicuus, noſterque fautor ſingularis, edit. Vit. 1772. Laudantur apud Crollivm, propter ſignaturam, Euphraſia, Anthemis, Caltha, Hieracium, Argemone, Scabioſa, Aſter atticus, Potentilla, illarumque herbarum aquae diu in vſu fuerunt. Aquam deſtillatam humoris oculi bouis cryſtallini, idem auctor, qui fere princeps eſt ſuperſtitioſae medicinae, commendare non dubitauit.

Nolo hic in memoriam reuocare veterum ophthalmica illa, cum noſtra aetate nimium laudarint arcana ſua et ſpecifica medici ocularii. Graeci, Romani, Arabes et Latino-barbari incredibilem fere copiam eius generis remediorum nobiſcum communicarunt. Placuit aliis forma magis ſicca, aliis humida. Vnguenta nouimus ex pinguedine piſcium, aſciae inprimis, aliisque. Laudarunt alii aquam coloris coerulei ſeu ſaphirini. Sed noſtram ſi fateri licet ſententiam, permulta diſſuadent vſum illorum remediorum. Nocent enim mox obſtruendo, mox irritando, et malum certe augent. Quare conducit magis ab horum vſu abſtinere, immo tantum abeſt, vt poſſint mederi variis morbis, vt potius ad alia auxilia et pharmaca confugiendum ſit. Nimium fere omni tempore topica ſingula laudarunt medici, quae quidem, quod nemo

in

in dubium vocare auſus eſt, ſubinde egregie proſunt, ſed ſaepius morbi cauſſam non attingunt, atque eam ob rationem iuuare non poſſunt. Oculorum morbi varii, qui corneam tunicam, adnatam, glandulas palpebrarum et ductus, lentem ipſam, humorem aqueum, et neruum opticum afficiunt, ſaepius ſunt effectus aliorum morborum, ſiue deuteropathici morbi, aut ex metaſtaſi quadam orti. Ex hypochondriis inprimis ſaepius natales repetunt oculorum morbi, quod infra fuſius demonſtrabimus. Latent nonnunquam in cerebro ipſo cauſſae morborum, qui oculos afficiunt. In his vero ſingulis morbis fruſtra adhibebis topica illa, et ophthalmica, quae nimium vulgo laudantur. Sunt alii denique morbi oculorum, qui non admittunt vſum eorum, quae ipſis applicentur oculis, licet deuteropathici non ſint. Veritatem eorum, quae hactenus tradidi, perſpexere nonnulli hoc ſeculo, et cautius adhibuerunt, immo longe rarius, quam olim fiebat, ophthalmica. Exſtat Georgii Frid. Siegwart ſpecimen ophthalmiologiae, de ſanatione ophthalmiae ſine ophthalmicis externis, vt ſingulari ſpecimine ſolidae praxeos medicae, editum Halae 1743, forma diſſertationis inauguralis. Quem libellum, ſi cum noſtro comparare velit quisque, inueniet facile, praeter argumentum nihil eſſe nobis commune.

Ophthalmiam ſolummodo vir Cl. pertracta-uit, ſed latiori ſignificatu, eodem vocabulo plures oculorum morbi inſigniri ſolent. Etenim oculi vera inflammatio, dolor, lucis impatientia, maculae, ſpaſmi, immo hydrops, caecitas varia, glaucoma, cataracta nondum confirmata, amauroſis, hemeralopia, nyctalopia, phantasmata ante oculos, ſaepe ſine omnibus ophthalmicis ſanantur, immo ſanari debent.

Emendata artis noſtrae praecepta iubent potius ad ipſas morborum cauſſas, harumque diſcrimen reſpici, quam ad ſymptomata et nomen ipſum, quo placuit pathalogis malum inſignire. Si quae vnquam veritas confirmat artis noſtrae praeſtantiam, et dignitatem, haec eſt, quae iubet, curatius inſtituendo examine aegroti, cauſſas morborum eorumque diſcrimen explorari. Illis enim inuentis perquam facile erit, ſingulis oculorum vitiis mederi ope remediorum, quae ſingulis cauſſis tollendis apprime idonea ſunt. Quae hactenus praemiſimus exemplis nonnullis confirmare ab inſtituto non alienum erit, ne quisquam dubitet, optimam medendi rationem eſſe eam, quae docet, communia artis noſtrae praeſidia in ſingulis morbis iuſto tempore applicare, nam temporis ars eſt medicina, et non iuſto tempore data medicina nocet. Sunt vero praecipua

cipua ex his ſanguinis euacuatio, emetica, purgantia, diuretica, diaphoretica, reſoluentia, roborantia, fonticuli, ſetacea, veſicantia, ſcarificatio, et quae ſunt reliqua. Haec ſi iuſto tempore in vſum vocare didicerit medicus, nunquam haeſitabit, quae ſint facienda et peragenda, ſed iuſta indicatione inuenta, ex omni penu artis noſtrae ſelectis pharmacis et praeſtantiſſimis auxiliis morbum oppugnabit.

Sed venio nunc ad ea exempla morborum oculorum, qui fere absque omni medicina ophthalmica ſanantur.

Agmen ducat apoplexia eiusque effectus, paralyſis, cum oculi vnius et alterius, tum lateris dimidii, vel vtriusque. Non aliam medicinam caecitas haec a paralyſi orta nerui optici et retinae, poſcit, quam quae cauſſis morbi primarii medetur. Sunt varii capitis morbi, in quibus cerebrum malo affectum eſt, nam mox adſunt tumores, ſcirrhi, hydatides, exulceratio, induratio quarundam cerebri partium, quibus vitiis, quorum diagnoſis difficillima eſt, neceſſario amauroſis, aut viſus debilis ſuperuenire debuit. Legimus, nonnunquam contabuiſſe prorſus neruum opticum. Neſcio, quae praeter generalia auxilia poſſint adhiberi. Compreſſio nerui optici, obſtructio eius, paralyſis, remoueri debent. Commouentia, valida ſtimulentia nocent inter

 initia

initia apoplexiae et paralyſeos. Euacuatio ſanguinis aut ſeri et bilis nonnunquam caeteris omnibus debet praemitti, et tunc demum reliqua praeſidia locum inueniunt, quae ſcilicet nerui optici obſtructionem et paralyſin auferre poſſunt, vlcera nempe per artem, fonticuli, veſicatoria, ſetacea, et quae ſunt reliqua. Cerebri commotio valida a contuſione, cranio diffracto, non raro euadit laeſionis viſus cauſſa, quo in caſu larga, immo repetita ſanguinis miſſio, temperantium vſus, clyſmata antiphlogiſtica vnice ſpem ſanationis promittunt. Reliqua auxilia ars chirurgica ſubminiſtrat. Apoplexia, Paralyſis, Vertigo, Epilepſia tantam inter ſe cognationem habent, vt recenſiti morbi omnes ab iisdem cauſſis poſſint oriri. Mirum itaque non eſt, ſingulis illis morbis vnam eandemque medendi rationem conuenire. Primam ſcilicet indicationem conſtituit euacuatio aut ſanguinis aut ſeri, ſed absque commotione, vt indicationi fiat ſatis, princeps monitum eſt et axioma ſummum.

Non magni itaque faciunt recentiores valida illa purgantia ſtimulantia et clyſmata acria, quae olim nimis frequenter adhibita fuere, non ſine damno inſigni.

Varia miaſmata, et varia prauitas humorum conſtituunt ſaepius cauſſam obſtructionis nerui

nerui optici, vel eius paralyſeos. Eminent ex his miaſma a plica abſciſſa, ſcabie retropulſa, et lue venerea inueterata, quae quidem humores feroſo lymphaticos cogunt, et neruis infeſta ſunt. Non ſine vſu reſoluentium, antimonialium, mercurialium, ſanantur interdum viſus vitia, quae a ſpiſſis humoribus, et obſtructione natales habent. Caſum memorabilem nobiscum communicauit Voigt, in diſſ. Altorfii habita, de amauroſi, ſaliuatione curata. De aliis morbis praeter luem veneream, ſaliuatione curatis, memorabilem edidit atque lectu omnino dignam Stahlius diſſertationem. Eam legi et iterum legi, et fateor, iuſtam ſuſpicionem mihi ortam fuiſſe, morbos a Stahlio recenſitos fere omnes, pertinere ad luem, quam nuperi vocant veneream laruatam, et quam nemo adeo facile in dubium vocabit. Nec fictis morbis adnumerari debent oculorum morbi a gonorrhoea ſuppreſſa. Heroes illi in Venere certe non poſſunt a morbis liberari absque heroicis remediis illis, quibus luem impugnare fas eſt.

Poſt variolas et morbillos ſuperſtes metaſtaſis ad oculos ſaepe viſum turbare ſolet. Non ſolum ophthalmia vehementioris ſpecies, panni, pterygia, caecitas ipſa, ſed et alia damna bulbo ipſi imminent, quae ſingula vſu remediorum

diorum internorum fere ſolo, euacuantium leniorum, nec non vlceribus artificialibus profligantur.

Senibus oculorum vitia valde familiaria nuper Cl. LENTIN, vir iudicio et peritia praepollens, a retentione vrinae, qua ſenes inprimis vexantur, apprime ſatis explicuit, et remediis ſanare docuit, quae interceptam vrinae excretionem tollunt, eiusque iuſtam excretionem reſtituunt.

Quis ignorat oculorum vitia, quae experiuntur, qui ſcrophulis laborant?

Ex hypochondriis vero frequentius oculorum morbi, conſenſus lege oriri ſolent.

Quis quaeſo ignorat vim et efficaciam venenorum aſſumtorum, a quibus ſcilicet mox pupillae ipſius dilatatio inſignis, viſus turbatio, immo caecitas ipſa, aliaque damna, teſte experientia quotidiana naſci ſolent, nec ſublata fuere, niſi eiiceretur turpis hoſtis? Idem dicendum eſt, de ſaburra varia, quae ſaepius gignit ophthalmiam ſatis vehementem, quae vſu emeticorum optime profligari ſolet, quae alias augendo congeſtiones peſſime nocent, hoc in caſu vero non ſolum tuto ſatis adhibentur, ſed praecipua conſtituunt auxilia, cum caetera iuuare non poſſint.

Vermes,

Vermes, inprimis vero lumbrici rotundi, frequentem affectionum oculorum cauſſam conſtituunt. Non ſolum enim ab ea cauſſa oritur ſaepe ophthalmia, ſed pupillae dilatatio fere conſtans vermium ſymptoma et ſignum exhibet, immo amauroſis ipſa quandoque inde orta fuit. Anthelminticis itaque ſolis adhibitis nonnunquam oculorum morbi varii ſanantur.

Hypochondriaci et hyſtericae permultis oculorum morbis vexantur. Sentiunt enim phantasmata ante oculos, myopes euadunt, viſus turbatur, ophthalmiam ſaepius patiuntur, et quae ſunt reliqua ſymptomata, aegrotis illis perquam familiaria et ſatis moleſta. Amauroſin periodicam vſu corticis peruuiani ſanauit Störckius, et Nyctalopiam eiusdem vſu Sam. Pyl, nec non ophthalmiam inueteratam Fothergill. Non ſolum autem princeps iſtud medicamentorum roborantium medetur variis morbis oculorum ex hypochondriis, ſed omnino in debilitate oculorum et viſus imbecillitate, ex toto habitu corporis orta, princeps *ophthalmicum* dici meretur. Qui tabe torſali laborant, morbum a crimine Onani vocant alii, hi omnes viſu debili laborant, nec absque vſu ſelectiorum roborantium priſtinam ſanitatem recuperant vnquam. Miſeris illis ſaepe viſum reſtituit Cinchona.

Eſt magna cognatio malum inter hypochondriacum et haemorrhoides; et hi morbi non raro complicatione quadam ſimul turbare ſolent ſanitatem.

Haemorrhoidum anomalia et menſium obſtructio pariter viſum turbant, nec prius caecitas aufertur, niſi morbo profligato, cuius ſymptoma conſtituit amauroſis vel imbecillitas viſus.

Qui epilepſia, hemicrania, rheumatiſmo diu vexantur, non raro inſignem viſus imbecillitatem, immo nonnunquam caecitatem ipſam experiuntur fato triſti.

In ſingulis vero morbis illis oculorum ad curam morbi idiopathici reſpiciat medicus, nam non ſolum in his morbis, quorum mentionem feci, ſed in aliis permultis, quos breuitatis ſtudio nolui hic nominare, parum iuuant, quae proprie ophthalmica vulgo appellantur.

Vltimo loco agmen claudat viſus imbecillitas et vera amauroſis a partu difficili et puerperio infelici, ſuperſtes, quibus ophthalmica nullam promittunt ſpem ſanationis.

XI.

XI.

PROGRAMMA,

EPITOME NEVROLOGIAE HYSIOLOGICO - PATHOLOGICAE.

D. VI. APR. MDCCLXXVIII.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Queis cerebrum et nerui natiuo robore pollent.

MILCOLUMB - FLEMING.

Nevropathia, L. II. p. 27.

Quum iterum ſolennem panegyrin indicen.am habeam, publicam ſcilicet diſputationem inauguralem ſuper cerebri eiusque neruorum abrica accuratius deſcripta, non alienum videtur quaedam praefari, quae ſpectant illarum partium doctrinam phyſiologico-pathologicam. Neruorum et cerebri accuratior deſcriptio recentiorum temporum inuentis omnino palmam praeripere videtur, ſi ſpectemus magnam illam induſtriam, qua viri doctiſſimi fabricam illarum partium ſcrutati ſunt, et vt verum fatear, omine fauſto. Sed licet ſumma eſſet induſtria anatomicorum, non potuere tamen omnem

omnem lapidem mouere. Alia enim adhuc dubia manſere, alia vero adeo abſtruſa viſa ſunt vt nodum Gordium ſoluere vix quisquam cogitaret.

Iniuria aeui noſtri in merita veterum tanta eſt, vt plurimi recentiorum aliis velint perſuadere, veteres in anatome ſubtiliori et phyſiologia prorſus rudes fuiſſe. Sed pauci hodie veteres legunt, pauciſſimi intelligunt. Non ſine admiratione vero legi poſſunt, quae GALENVS iamiam de cerebro et neruis annotauit. Is enim non ſolum vberiori ſermone, ſed paſſim accuratiori etiam deſcriptione, tantam peritiam in anatome ſubtiliori probauit, vt merito nunc etiam princeps anatomicorum appellandus ſit.

Non ſolum autem in libris de vſu partium, ſed alibi quoque adeo multa de cerebri et neruorum fabrica ſcripſit, deque illorum functionibus adeo ſubtiliter diſputauit, vt qui nunquam legerit, obſtupeſcat, modo velit euoluere ALOYSII MUNDELLAE theatrum GALENI, qui ſedulo enumerauit loca ſingula GALENI, quae tanti viri ſententias de cerebro et neruis exponunt. Laudes iuſtas ſibi quoque promeruit ORIBASIVS, cuius anatomen ex libris GALENI, cum RASARII verſione latina, nitida ſatis editione iterum euulgauit GVIL. DVNDASS,

L.

B. 1735. 4to, in quo libro non contem-
nda habetur epitome eorum, quae ſciuit
ALENVS de cerebro, medulla ſpinali et
uis ipſis. Diu viguit in ſcholis medico-
n GALENI doctrina anatomica, donec
m audacia inſigni VESALIVS impugna-
et labefactaret. Quanquam vero negare
llim, quod recentiores abunde demonſtra-
nt, GALENVM ſaepius erraſſe, nullus tamen
bito audacter affirmare, cognitionem no-
am de cerebri et neruorum functionibus,
GALENI temporibus ad noſtra vsque, pa-
m auctam vel emendatam eſſe. Non igno-
uit enim GALENVS fere vniuerſam illam
ctrinam ſuper neruorum functionibus, quae
oſtra aetate in ſcholis phyſiologorum vulgo
poni ſolet.

Alibi nuper docui, veteres doctrinam de
irritabili cordis, vaſorum, muſculorum
on ignoraſſe, ſed aliis ſolummodo vocabu-
s illam nominaſſe. Iam vero decreui me-
m, ſummaria quaedam proponere, ad ſta-
liendam illam ſententiam, per duo millia
nnorum non multis acceſſionibus locupleta-
m eſſe veterum doctrinam de neruorum
nctionibus, immo quae hodie docent me-
ici, iam olim fere ſingula cognita et ſta-
ilita fuiſſe.

A cerebro venire neruos omnes, quotquot in vniuerſo corpore humano reperiantur, veteres non ignorarunt. Scinerunt, alios egredi per foramina quaedam cranii, alios ex ipſa medulla ſpinali diſtribui mirum in modum, immo fere nullam eſſe corporis humani partem; ad quam non abeat neruus, omnis motus et ſenſus principium. Sic enim ait Oribasivs l. c. p. 259: „Nulla eſt animalium „particula, quae aut motum, quem voluntarium vocant, aut ſenſum habere ſine neruis „queat, ſique neruus praecidatur, particula et „motu et ſenſu ſtatim ptiuatur. Cerebrum „vero eſt neruorum, quemadmodum etiam „ſpinalis medullae, principium. Alii porro „a cerebro, alii a medulla ſpinali oriun„tur etc."

Non ſine voluptate legi poſſunt, quae Nemesivs in libro de natura hominis ſuper neruorum imperio in corpus vniuerſum annotauit. Eandem enim doctrinam, quam nuperi profitentur, nobiscum communicauit; irritabilitatem ſcil. muſculorum neruis deberi, immo tendines non carere neruis, ideoque nec ſenſu, licet non proprio gaudeant.

„Eſt motus voluntarii, ait Cap. XXVII. ed. „Oxon. 1671. 8vo p. 215. principium cerebrum „et dorſi medulla; quippe quae cerebri pars „ſit. Inſtrumenta, nerui qui ex his orti „ſunt,

ant,' et ligamenta et muſculi. Muſculi autem conſtant e carnibus et neruoſis fibris, e tendinibus, qui cum neruorum fibris complicati ſunt. Quare aliqui exiſtimarunt, eos ſentiendi vim habere; propter ſenſum, qui it ex neruis, qui illis ſunt connexi. Itaque endo e ligamento et tenuibus neruis eſt compoſitus. Differt autem a neruo tendo, quod omnis neruus ſentiendi vi eſt praeditus, et rotundus, et mollinſculus, et a cerebro originem ducit; tendo vero et durior eſt, et ex oſſe, et per ſe ſenſus expers, et latus aliquando."

Ita deſideratiſſimus noſter HALLERVS nuper docuit, perperam tendinibus vim ſentiendi tribui, ſed illam deberi vnice minutiſſimis neruorum fibrillis, omnem fere aciem viſus effugientibus, quae ſeſe tendinibibus inſinuarent, inque horum contextu celluloſo decurrerent. Neruo diſſecto partium infra iacentium ſenſum et motum perire ſtatim GALENVS monuit non ſolum Cap. I. de *diſſectione neruorum*, ſed prolixiori ſermone L. VIII. *de anat. adminiſtratione* Cap. V. docuit, a nerui ſectione omnes ſimul inferiores partes reſolui, ita vt ſenſus et motus omnis pereat, et pars reſoluta contabeſcat. Exemplis permultis loco citato rem confirmauit GALENVS, quae ſingula commemorare, nimis foret prolixum.

Sentio

Sentio pagellarum anguſtiam non permittere, vt poſſim exhaurire vniuerſam doctrinam, quare non inutile erit, generaliora quaedam ſolummodo enumeraſſe. Facili autem negotio demonſtrarem, noſtra aetate ſummum Boerhaavivm in libro elegantiſſimo et vtiliſſimo de *neruorum morbis*, ne verbum quidem de morbis illis protuliſſe, quod non occurreret in veterum monimentis, noſtra aetate nimium neglectis, vt iuſta Baglivii cenſura de veterum neglecta lectione, et hic locum mereri videatur.

Neruos; dum agunt, absque motu conſpicuo functiones abſoluere, admodum prolixe docuit ſagaciſſimus noſter Hallervs. Sed nec eam veritatem Galenvs ignorauit. Is enim ait in *libro de medicae artis conſtitutione* Cap. IV. „*euidenter contrahi apparet muſculus*, *vbi cute nudatus circumueſtiente fuerit*, *ac velut ad ſui ipſius caput retrahi*, *non tamen deſcendens in ipſum neruus ſenſili aliquo motu agitari cernitur*, *ſed is via eſſe videtur facultatis*, *quae e cerebro demanat. Enimuero cerebrum ipſum*, *quod neruis cunctis principium eiusmodi ſit facultatis*, *ex praeciſo quouis neruo aperte didicimus*, *cum in partibus ſuperis*, *quo continuus cerebro eſt*, *functiones ſeruet*, *in infernis deperdat.*"

Per-

Perpauca ſunt, quae de neruorum fabrica illorumque functionibus certa ſcimus, et nonniſi per coniecturam quandam aſſequimur eam doctrinam abſtruſam. Peruetuſta eſt hypotheſis, ſpiritibus in cerebro elaboratis deberi vim et efficaciam neruorum in regundis oeconomiae animalis functionibus. Nec ea caret probabilitate.

„*Spiritus animalis cerebrum veluti fons eſt,* Galenus ait, *meth. med* et alibi, „*ſpiri-* „*tus animalis in toto cerebri corpore contine-* „*tur, ſcil. de vſu partium.*" Obſcura quidem paſſim eſt veterum, Hippocratis inprimis doctrina de ſpiritu animali, ſed multa apud Galenum ad amuſſim conueniunt cum doctrina recentiorum, vt nullum ſit dubium, eam ex veterum monimentis mutuatam eſſe. Neruos in duros et molles poſt Galenum omnes ad hunc vsque diem diuidere conſueuerunt, et eodem auctore nemo dubitat affirmare medullam ſpinalem eſſe quaſi cerebrum alterum, et cum illo eiusdem naturae. Hallerus noſter, meritorum quae ſunt veterum, optimus vindex, Ipſe probauit ex antiquiſſimis monimentis (Phyſiol T. IV. p. 365) veteres omnes ſpirituum doctrinam agnouiſſe, eamque noſtra aetate primum in dubium vocatam, ab aliis tamen maſcule iterum defenſam fuiſſe.

Idem antiſtes noſter nobis otium fecit, et l. c. pag 389, epitomen doctrinae exhibuit veterum, quae ſtatuit alios neruos motibus ſolummodo, alios pariter ſenſationibus inſeruire, cuius doctrinae fere princeps auctor GALENVS dici meretur, qui ſubtiliter, vt ſolet, excogitatis argumentis, eam hypotheſin firmare anniſus eſt. Monet quidem b. HALLERVS, nullum eſſe neruum, qui moueat, neque ſentiat vna. Sed idem iam antea theſin memorabilem ſtabiliuerat, quae prima eſt, in eximia illa diſſ. de *vera nerui intercoſtalis origine*, num dentur nerui motorii a ſenſoriis diuerſi et duriores, dixeratque repugnare exempla neruorum manus, pedisque, qui vtroque munere fungerentur, cum tamen portio a cerebro nonniſi minima accedat.

Sympathiam partium a neruis hodie quidem in dubium vocat nemo, ſed eam nolunt vnice a nexu illorum explicare, cum potius fabricae ſimilitudo verior conſenſus cauſſa videatur, vt hodie phaenomenon ſit aeque obſcurum, quam olim, nec explicatu adeo facile. Quum nonniſi breuiter atque ſtrictim in tanta rerum vbertate exponere queam ſummaria quaedam, dixiſſe iuuabit, nos fere prorſus ignorare modum agendi, vt vocant neruorum. Medullam neruorum agnouimus omnes, praetereaque fere nihil. Elaſticam illis

illis ineſſe vim, eamque efficere, vt chordae inſtar tenſae agant, hypotheſis fuit, quae iatromathematicis ſolis placuit, ab omnibus aliis vero iamdudum exploſa.

Robur cerebro et neruis nuperi permulti tribuunt, nuperrime omnium auctor libri, qui inſcribitur medicus philoſophicus. Ea vero hypotheſis non multum diuerſa eſt ab illa, quam GALENVS de cerebri temperie calida, frigida, prolixe admodum tradidit, et pro miro ſuo ingenii acumine, perpoliuit.

Impreſſiones vocant mutationes, quae in neruis oriuntur a *ſtimulo* quocunque, a quo nunc oritur ſenſatio, motus, nunc vero morbus. Principium vitae ſunt fere conſenſu omnium, cerebrum et nerui per omne corpus mirifice diſtributi, vt veroſimile ſit, eorum ope regi vniuerſam oeconomiam hominis.

Non mirum itaque, latiori ſignificatu a varia neruorum affectione fere omnes morbos explicari.

Febres nimirum, ſpaſmi, conuulſiones, dolores omnis generis, inflammationes, malum hypochondriacum, hyſtericum, mania, melancholia, deliria reliqua omnia, apoplexia, vertigo, catalepſis, paralyſis, fatuitas, ſyncope. hi morbi omnes nunc appellantur morbi cerebri, nunc morbi neruorum. A cerebro

male affecto apud veteres ſolemne erat, apoplexiae, maniae, phrenitidis, epilepſiae, vertiginis etc. origines repetere. Nuperi in ea theoria parum mutarunt, et ſolummodo docuerunt, frequentius quam par eſt, cerebrum ipſum accuſari, et morbos dictos frequentiſſime ex hypochondriis conſenſus lege oriri, vt vltro pateat, vocabulum iſtud morborum capitis, nimis generali ſenſu olim adhibitum fuiſſe. Diu in ſcholis viguit inepta diuiſio morborum pro varietate partium laborantium. Sed recentiorum felicitas non fuit multo maior. Etenim ad varia genera amandarunt morbos illos, vt ſeorſim nunc in Pathologia recentiori legamus recenſitum aliud genus morbi, quod ſpaſmi nomine venit, aliud quod hyperaeſthiſin, aliud denique quod mentis morbos appellant. Haec vero morborum genera, nuper excogitata, non magis illuſtrant rem obſcuram, quam veterum illa diuiſio in morbos capitis aliarumque corporis partium, iam dudum exploſa ab omnibus. Haec noua enim morborum genera non adeo ab inuicem diuerſa ſunt, quam quidem nouae pathologiae auctores autumant, atque haec noua pathologia in ipſo artis exercitio nullius eſt momenti vel vſus. Neruorum robur et debilitas ſunt noſtra aetate fulcra et aſyla artis noſtrae, et vix hodie morbi genus occurrit, quod non malint medici ab ipſa ner-

uorum

uorum debilitate deriuare. Adeo verum eſt, iure noſtro aeuo morbis neruorum quemcunque morbum fere adnumerari, cum omnino et phantaſia aegrotorum et medicorum laeſa ſit. Pertaeſus nonae huius pathologiae et doctrinae, iamdudum cogitaui, vaniloquentiam recentiorum ſummam eſſe. Vocabula enim ſola nobis apponunt, praetereaque nihil. Lubenter etiam fateor, recentiores ne hilum quidem emendaſſe veterum placita. Sola enim phaenomena ſcimus, cauſſas vero rerum prorſus ignoramus. Quis veterum ignorauit, a cerebri compreſſione, vel ab effuſis in cerebro aquis, affectum ſoporoſum vel apoplexiam poſſe oriri? Non meliora docuere nuperi, ſed per tot millia annorum eandem doctrinam profiteri fuere coacti medici. Quae ſcimus, fere haec ſunt, cerebri et neruorum functiones turbari a compreſſione, obſtructione, irritatione varia, continui ſolutione. Morbi ſchemate et typo toto caelo diuerſi ab vna eademque cauſſa non raro naſci ſolent. Diſpoſitio quaedam in cerebro neruisque ipſis plerumque requiritur, vt cauſſa quaedam hunc vel illum morbum producere queat, ſed ſaepius cauſſae ipſius vehementia ſola ſufficit, quae in ſanis ipſis ceteroquin hominibus eundem morbum efficere ſolet, nulla praeſente diſpoſitione quadam, quam nimis liberaliter Pathologi aſſumere ſolent.

 Non

Non multis probare exemplis, ea quae dixi, opus videtur, ſed pauca ſufficere videntur.

Quoties enim non licuit animaduertere, ab obſtructione menſium, haemorrhoidum, ſcabiei vel materiae podagricae decubitu ad neruos, ortam fuiſſe nunc apoplexiam, nunc epilepſiam, aliquando vero ab eadem cauſſa melancholiam, vel aliud morbi genus natales habuiſſe.

Non magni itaque facienda eſt ſubtilitas Pathologorum aeui noſtri, qui gloriantur noua quadam morbi ſpecie inuenta, quam plerumque nouo vocabulo, eoque neſcio an dicam ſuperbo, an vero ridiculo magis inſignire ſolent. Sed vt verum fatear, antiqua magis placet philoſophandi ratio, quae pauca conſtituit morborum genera, eaque ad ſimplices cauſſas reuocat. Boerhaavio, me iudice, nemo magis in ea arte excelluit, quae iubet in vniuerſa pathologia morborum cauſſas potius quam ſchema ipſum reſpicere. *Simplex* iſtud veri *Sigillum*, Boerhaavii ſymbolum, ſummum eſto in arte medendi axioma. Sunt alii neruorum morbi, quorum ratio fere mechanica deprehenditur, ita vt ex laceratione, compreſſione, obſtructione intelligantur, alii vero neutiquam ex iisdem legibus concipiantur, v. c. venenorum deleterii in ner-

uos

nos et cerebrum effectus. Quis enim vellet opii, ſtupefacientium, vt alia taceam, vim ex legibus mechanicis explicare. Horum effectum ſolummodo per experientiam cognitam habemus, et ſcimus aut euacuantibus illa peregrina et noxia ſtatim eiicienda eſſe, aut vim horum deleteriam variis antidotis eſſe coercendam, aut denique obuiam eundum eſſe ſpaſmis aliisque ſymptomatibus, illis remediis et auxiliis, quae itidem experientia efficacia confirmauit. Non abſimili ratione in ſingulis neruorum morbis axiomata quaedam generalia practica ſtabilienda ſunt, quae nunc concernunt ſtimuli laedentis, nunc vero ſenſibilitatis illius, quae morbum fouet, remotionem. Et haec quidem ſimul curam palliatiuam ſic dictam ſubinde perficiunt.

Ignoramus certe ſpaſmorum, dolorum, delirii, et aliorum morborum, qui a neruis oriuntur, rationes. Sed didicimus ſingulis illis morbis, pro varietate cauſarum mederi, quatenus ſcilicet in noſtra poteſtate poſitum eſt, cauſſas proximas tollere. Sic phyſici profus ignorant cauſſam motus corporum, ſed optime ſciunt motus leges et conditiones, et in mechanica et pyrotechnia accurate ſatis ſciunt motum ad calculi leges definire. Invitus cogor filum abrumpere.

 XII.

XII.

PROGRAMMA,

ALEXITERIA ET ALEXIPHARMACA CONTRA DIABOLVM.

D. XVII. APR. MDCCLXXVIII.

"Quaedam ſtirpes et herbae, quarum vtilitates longinquo "temporis vſu et periclitatione percepimus —"

Cicero,
de Natura Deor.

Pertractauit Nobiliſſ. Candidatus, qui noſtras laudes meretur, Aſſam foetidam, nobiliſſimum illud medicamentum, et donum diuinum, ſed ex vulgi opinione diaboli excrementum; immo, quod mirandum, princeps auxilium, cuius ope diabolus ipſe profligari poſſit, quaſi fugeret ille ſtercus proprium et excrementorum ſuorum odorem.

Fuit autem ab omni tempore condimenum, et aroma, quod valde in deliciis erat populis orientis in loco natali ipſo, fuit cibus iucundus apud veteres, et eſt hodie adhuc

iuc Indis Banianis. In aulis principium vo-
uptatis cauſſa parciori copia cibis admiſcetur,
ıt nuperrime a medicis ipſis relatum legimus,
ptimo conſilio cibis admiſceri. Eſt enim
ſtomachiorum princeps, concoctionem cibo-
um iuuat, flatus et vermes expellit, et vera
ıypochondriacorum panacea appellari mere-
ur, quibus inprimis mirifice prodeſt. Nul-
um praeſtantius habemus Perſarum HEN-
GISEH medicamentum, vt eam quoque ob
auſſam HALLERVS in libro ſuo, quem
nſcripſit VSONG, laudaret Principem do-
minam, quae in agris colere plantam illam
ſapientiſſime mandaret ſubditis, nec inepte
). GMELIN Aſſam noſtram princeps anale-
pticum appellaret.

Vſibus magicis vero cum plebs rudior ex
ongo tempore hoc praeſtantiſſimum medica-
mentum deſtinaret, facile in mentem venit,
commoda hac occaſione quaedam praefari,
de praecipuis alexiteriis et alexipharmacis ex
pharmacopolarum officinis contra diabolum
et morbos ab incantatione ex vulgi opinio-
ne ortos.

De *Vegetabilibus magicis* docte et ſolide
olim diſputauit b. Io. HENR. DE HEVCHER,
cuius viri doctiſſimi et literatiſſimi diſſertatio
recuſa legitur in Ej. Opp. Lipſ. 1745. 4t. T. I.
p. 766. primo vero prodiit Vit. 1700. Auctor

 huius

huius ſcripti ex antiquitatibus Aegyptiacis e veterum monimentis origines medicinae magicae illuſtrauit. Eſt quoque nobis ad manu Mag. FRID. MENTZ, Gveſtphali, diſſ. *de plantis, quas ad rem magicam facere credide runt veteres*, habita Lipſ. 1705.

Sed antea iamiam IO. WIERVS, in libro doctiſſimo, de *Praeſtigiis Daemonum*, et quidem Libro V. cap. XXI. egit de materiis, quibus Daemones et maleficia arceri credebat antiquitas et eccleſia Romana (ed Baſil. 1583. 4t pag. 581 ſq.) Deinde vero prodiit GEORG ABRAH. MERCKLINI Tr. de incantamentis, qui et addidit curationes magicas, Norimb. 1715. 4. Seorſim vero curationes magicas ex inſtituto pertractauit HELWIG, in libro, cui titulum fecit: *Valent. Kräutermann, Zauberarzt, Frft. u. Leipz.* 1726. 8*v.* Ex longo vero tempore in deliciis habuimus ſtudium, quod hiſtoriam fabuloſam magiae et incantationis ſpectat, quodque non ſolum delectat, ſed omnino vtilitate non caret. Specimen itaque literario-criticum medicinae phyſico-magicae nunc apponimus.

Efficacia eorum, quae percenſebimus, in dubium vocari nequit, ſed minime accuſari debet Diabolus ille prorſus inſons, aſylum iſtud ignorantiae vetuſtiorum auctorum, cum potius morbi vulgares fuerint, quibus mederi viſa

viſa ſunt remedia illa. Nec dubitarunt in Eccleſia Romana viri doctiſſimi, morbos, qui olim dicebantur ab incantatione, fuiſſe morbos neruorum; legi ea de re merentur Cl. Franc. Petri Leop. Gennzinger, diſſ. *an a Faſcino et Diabolo hominibus morbi?* Vienn 1765. 8vo. et Cl. Papii, diſſ. reſp. Mohr, *pertractans morbos neruorum Daemoni ſubinde attributos*, Wirzeburg 1768. eo in loco defenſa, vbi 1749. virgo monialis, *Maria Renata*, quam ſagam credidere, concremata eſt. Adhibuerunt autem ad morbos a Daemone et incantatione ortos, cum hominum, tum pecorum, varia forma, non ſolum interne, ſed externe quoque ea remedia.

Amuleti ſpecie, vel ſuffimigii, immo inunctionis, laudarunt maxime horum auxiliorum efficaciam, et certe non fruſtra adhibuerunt ea, quae meam nunc merentur attentionem. Etenim valent omnino ad aërem impurum corrigendum, medentur neruis, ſuntque in medicina et arte veterinaria hodie adhuc praeſtantiſſima pharmaca.

Seorſim nunc ea recenſebo.

1) *Aſſa foetida.*

Suffitus et amuleti forma inprimis olim placuit veterinariis.

Me-

Memini me puerum adhuc nouiſſe bubulcum, in arte veterinaria experientiſſimum et felicem omnino. Is vero frequenter adhibere ſolebat aſſam noſtram in morbis vaccarum putridis inprimis, in lactis defectu, et ad vlcera vetuſta purganda. Dedit intus, adplicuit externe forma amuleti, fotus et ſuffitus. Efficax omnino remedium, quod ſaepe non fefellit ſpem, nam penetrans odor aſſae poteſt mederi morbis variis. In carie nuperi laudant, aſſam — ſed in animalium morbis iam diu in vſu fuit, et memini optimo effectu ſanaſſe vlcera ſordida ſatis antiqua.

2) *Thus et Myrrha.*

Itidem ſuffitus forma ab omni tempore in morbis pecorum in vſu fuere. Nemo dubitat de horum virtute roborante, immo myrrha princeps eorum eſt, quae putredini potenter reſiſtunt. Morbi autem vaccarum frequentius ſunt e genere putridorum. Non inepte itaque ad aërem corrigendum ſuffitus myrrhae vel thuris adhibetur.

3) *Camphora.*

Amuletum ex camphora efficax remedium. Potuit quoque mederi morbis vaccarum a putridis humoribus ortis. Depellit quoque pediculos.

In

In epilepſia a Faſcino Kräutermannus camphoram laudat. Sed multis modis potuit iuuare, vt faſcinum perperam accuſaſſe, nullum ſit dubium.

4) *Sulphur.*

Sulphur accenſum morbis boum mederi, omnes veterinarii, quantum ego ſcio, affirmant.

Wiervs, vir doctus, l. c. non ſolum ſulphuris accenſi, ſed etiam aſphalti meminit, quae forma ſuffitus dicebantur magicis morbis mederi. Ea vero corpora per ignem in vapores reſoluta aërem putridum certiſſime valent emendare, vt hodie in noſocomiis, in naui commendare ſoleant medici eadem ſuffimagia, quae olim adhibebant ad magicos morbos ſanandos.

5) *Iuniperus.*

Lignum eius, frondes, et baccae, in morbis hominum et brutorum eximium praeſtant effectum, forma ſuffitus ſi adhibeantur; nam aërem putridum optime corrigunt, putredini humorum reſiſtunt, et roborando ſimul iuuant. Baccae contuſae ingredi ſolent varia pharmaca in veterinaria vſitatiſſima, quae nolim damnare.

6)

6) *Lauri baccae.*

Inter electuaria et bolos miſcent veterinarii. Ad calida pertinent aromata, et propter vim ſtomachiam digeſtionem pabuli promouent. Quis vero negat, a nimia pabuli copia deuorata, ſaepe animalia variis morbis corripi, et nolle deuorare pabulum, quo in caſu vetulae Diabolum mali auctorem perperam accuſant. Ex oleo laurino et mercurio viuo parare ſolent veterinarii vnguentum contra pediculos vaccarum, quo ſpinam dorſi inungi iubent. Pediculos certe necat, et pediculari morbo medetur hoc vnguentum.

Quis vero ignorat, pediculos faſcino deberi, commentum eſſe vetularum peruulgatum.

7) *Mercurius viuus,*

per ſe applicatus, penna anſerina, appendi ſolet a mulierculis, cum infantibus, tum vaccis contra pediculos, quos ab incantatione natos credunt. Quamquam vana ſit opinio, tamen experientia efficaciam docuit.

8) *Ruta.*

Inter amuleta occurrit apud WIERVM, vt vnum ſaltim teſtem nominem. Frequentius vero contra veneficia vaccis cum pane butyro illito, propinari vidi, ſpemque promittit omnino contra venena ab animalibus recenter deglutita.

9)

9) *Hypericum.*

Fuga daemonum vulgo appellatur, quod melancholiam profligare crederent olim. Decocti forma vero, hypericum adhiberi a veterinariis frequentius, ipſe cognoui, cum rure viuerem, et occaſio eſſet colligendi obſeruationes in veterinaria arte. Nec efficacia destitui decoctum et perforati, et quadranguli, ſuper docuit Cl. BERGIVS in mat. med. Planta eſt omnino balſamica et in variis morbis prodeſſe poteſt.

10) *Imperatoria.*

In morbis vaccarum radix pulueris et decocti forma frequentioris vſus eſt. Efficacia exoticis vix cedit. Abundat principio gummeo-reſinoſo atque oleo aethereo diues eſt, odorem grauem ſpirat, ſapor eius eſt aromaticus.

Infuſum vinoſum egregie medetur febribus intermittentibus, ante acceſſum paroxyſmi datum. Sudorem mouet, ſtomacho prodeſt, in morbis putridis efficax videtur.

11) *Helleborus.*

Nigri ſcil. radix, vulgo *Chriſtwurzel.* Efficax ſatis, immo venenata, non caute ſatis adhibita. Setaceum ex helleboro in morbis, quos putant ab incantatione et aliis, iumen-

torum

torum vſitatiſſimum. Etiam decocti forma vel pulueris adhiberi ſcio.

12) *Valeriana Phu.*

Ab omni tempore retro contra magicos morbos fuit laudata planta, eiusque radix inprimis. De efficacia illius in morbis etiam hominum, hodie dubitat nemo.

13) *Quercus.*

Folia inprimis, foliorumque decoctum olim pecoribus data fuiſſe, reminiſcor. Nulla pars arboris vtilitate caret. Virtus adſtringens ſingulis propria, potuitque itaque vario modo prodeſſe.

14) *Taxus.*

Subuenenata planta, ex ſuperſtitione magis, quam obſeruationum fide laudata ſtirps videtur.

15) *Adianthum aureum; Polytrichum commune L.*

Olim veterinarii decocti forma vna cum aliis adhibebant, hinc non conſtat, vtrum ſimplici virtus ſit tribuenda. Non certa fide conſtat, ineſſe vim remedialem ſiue aduerſus morbos hominum, ſiue brutorum.

16)

16) *Bufo.*

Bufonem ſole exſiccatum amuletum creditum eſſe contra varios morbos a veneno et a faſcino, in lactis vaccarum defectu inprimis, nota res eſt. Vanum videtur remedii genus, etſi nuperi commendauerint iterum, et hos inter b. VOGELIVS.

17) *Allium.*

Scio veterinariis in vſu eſſe ad morbos magicos curandos allii ſuccum, allii decoctum cum lacte, amuletum ex allii radice. Efficaciam priorum nollem ego negare, cum hominibus ipſis ſit valde proficuum allium. Eſt enim ſudoriferum et ſtomachicum et anthelminticum, atque eam ob cauſſam ruſticorum panacea dici meretur.

18) *Centaurium.*

Quanta ſit efficacia ſummitatum harumque decocti, nemo medicorum ignorat, vt eam ob cauſſam ſperare liceat, non adhibitum iri fruſtra in morbis iumentorum. Decocti forma placet inprimis veterinariis, quod efficax omnino medicamentum.

19) *Viſcus.*

Viſcus ex corylo inprimis deſumtus, in morbis laudatur magicis. Vulgo viſcus querci et tiliae in vſu ſunt. Illum in morbis

magicis laudat MERCKLIN. Vis glutinans, adſtringens primaria eſt. Potuit mederi morbis neruorum. In epilepſia nimiam neruorum ſenſibilitatem, vt vocant, tollere videtur.

20) *Abrotanum.*

Ingredi ſolet pulueres et decocta. Fomentum placuit BOERHAAVIO, qui merito laudauit plantam aroma ſpirantem, et antiſepticam.

21) *Marrubium.*

Merito hanc plantam vſibus medicis iterum commendauit Cl. BERGIVS. Vis eius incidens eximia eſt. Decoctum omnino efficax viſcidos humores emendat.

22) *Angelica et Leuiſticum.*

Herba et radix forma decocti in medicina veterinaria multum laudari ſolent. Radix plantae vtriusque ingredi ſolet pulueres. Vis calefaciens, putredini reſiſtens, diaphoretica, nota ſatis.

23) *Ariſtolochia.*

Scio egregie mederi radicem ariſtolochiae, et longae et rotundae, vlceribus vetuſtis, fungoſis tumoribus, articulationum inprimis, forma pulueris et decocti, externe potiſſimum, ſed interne quoque datam. Noui olim veterina-

rinarium in medendis morbis, qui equis familiares, admodum felicem, qui ſolo hoc remedio perſanaret ſordidiſſima vlcera, quibus equi valde ſunt obnoxii.

24) *Sabina.*

Armenta ferunt facile et cum euphoria ea remedia, quae hominibus facile nocent, et draſtica ſunt. Non ſolum autem puluis ſabinae fungis abſumendis inſpergitur optimo euentu, ſed prodeſt quoque foliorum decoctum tanquam purificans ſanguinem et emendat ſuccorum prauitatem. In morbos ſaepe incidunt equus et vacca, quod ſanguis nimium ſpiſſeſcit, quae ſpiſſitudo heroica poſcit remedia, quae facile nocent hominibus.

25) *Aſplenium Trichomanes. L.*

Vis adſtringens, quanquam lenis ſit, non tamen prorſus iners videtur.

Plura hic recenſere, ſuperuacaneum duco. Sufficit, demonſtraſſe, permulta eorum, quae olim contra faſcinum et morbos ab incantatione dictos, adhibita ſint, vim habere omnino remedialem, vt potuerint mederi morbis a phyſicis cauſſis ortis.

Suffimigia, linimenta, vnguenta, balnea, pertinent ad praeſidia in arte noſtra generalia,

lia, quorum vſu varii morbi ſanantur. Et hodie permulti laudant medicorum plantas, aliaque remedia, quae vix laudes merentur. Non mirum itaque, olim laudaſſe centum remedia, quae nullam prorſus efficaciam habent, ſed fruſtra adhibentur.

Paucis nominabo ſaltim eas plantas, quae alias magicis vſibus inſeruiebant, et quarum efficaciam noſtra aetate nemo in dubium vocat. Sunt vero Verbaſcum, Artemiſia, Anethum, Sambucus, Chamaepytis, Scilla. Sunt aliae, quarum fides valde dubia, v. c. Antirrhinum, Verbena, Aquilegia, Succiſa, Betonica, Paris, herba Sophia, Poeonia, et quae ſunt reliquae. Alia denique remedia ſunt omnium conſenſu vana et abſurda, v. c. raſura cranii humani, muſcus cranii humani.

Erant vero morbi ab incantatione dicti arthritis, macies, anchyloſis, ſpaſmi et conuulſiones, nec non dolores omnis generis, atrophia, impotentia coeundi, et qui ſunt reliqui.

Veneficae, quod nemo negabit, potuere variis venenis omnino morbos producere, qui medicamentorum ope eſſent profligandi. Sed et ii morbi, qui neutiquam a venenis orti erant, ſanati fuere variis remediis, quibus et noſtra aetate vtuntur et medici et veterinarii.

Balnea

Balnea in macie puerorum a faſcino, frictiones et linimentorum vſum commendabant medici illorum temporum, nec inepte. Lectulos ex variis herbis ipſe commendat Rosensteinius, et alii commendant in rachitide infantum, propter vim adſtringentem omnino laudabiles. Herbae aromaticae, quae iuuant forma cucuphae vel ſacculi adplicatae, non minus iluſtrant vim contra perperam ſic dictos magicos morbos, cum reuera fuerint morbi, qui et hodie in praxi quotidie occurrunt. Quis crederet, niſi a nuperis obſeruationibus confirmatum eſſet, cataphractam ex linteo conſutam, in qua corticem peruuianum pulueris forma includerent, profligaſſe febrim intermittentem.

Qnum fides non ſit deneganda viris doctis, haec obſeruatio magis confirmare videtur ſententiam Cl. Kessleri, nunc Phyſici Magdeburgenſis experientiſſimi, amici noſtri et collegae olim in noſocomiis caſtrenſibus Regis Pruſſiae, corticem ſcilicet non carere partibus volatilibus, illisque maximam partem eius efficaciae deberi. Iubet eam ob cauſſam pulueris forma non diu aſſeruari corticem, ne pereat ſcilicet eius vis, qua in neruos agere videtur. Sufficiant haec pauca ſpecimina medicinae magicae ad confirmandam noſtram ſententiam, non omnia remedia, quae

 olim

olim credidere alexiteria et alexipharmaca contra diabolum, prorſus vana vel inefficacia fuiſſe ſed potuiſſe omnino morbis hominum et brutorum mederi. Quodſi ea, quae diſputauimus, in dubium vocari nequeant, ſequitur omnino, non prorſus abiiciendos eſſe auctores, qui olim de Faſcino et remediis contra Faſcinum ſcripſere. Latent enim in illis permulta, quae non minus fidem merentur, quam ea, quae a nuperis obſeruatoribus annotata leguntur, et eo maiorem quidem fidem merentur, quo magis conſtat, eorum vim et efficaciam ab omni tempore retro fuiſſe notam.

XIII.

XIII.

PROGRAMMA, ANIMADVERSIONVM IN SYSTEMATA NOSOLOGIAE SPECIMEN I.

D. XXVII. IVL. MDCCLXXVIII.

Pertractauit Noiliſſ. Candidatus, cuius panegyrin ſolennem indicendam habeo, colici morbi ſpecies praecipuas, et exhibuit ſpecimen noſologiae applicatae, mihique dedit occaſionem opportunam, differendi de ſyſtematibus Noſologiae praecipuis, deque ſtudio medicorum noſologico in vniuerſum. Sed libelli limites nunc quidem ſolummodo permittunt, vt communicare queam animaduerſiones ſuper ſyſtematibus ipſis. Quae vero monenda habeo in doctrinam recentiorum de formandis morborum generibus vt vocant inferioribus, ad aliam occaſionem differe coactus ſum.

Incipiam itaque ab ipſo Hippocrate, qui conditor eſt vniuerſi ſtudii medicorum, et princeps eorum, qui vnquam vixere.

Vt ſumma erat viri ſummi ſapientia, paucilſima etiam ſtabiliuit morborum genera, quod bene annotauit optimus eius interpres et epitomator, ac totius medicinae graecanicae reſtaurator, BOERHAAVIVS. Is enim ait in eximia illa oratione de *commendando ſtudio* HIPPOCRATICO: "non *vllibi tot ſubtiles, atque adauctis euanidas diſtinctionibus morborum atque cauſſarum differentias apud magnum medicinae parentem inuenire eſt.*"

Caſtigauit ille HIPPOCRATES CNIDIOS in diſtinguendis morborum ſpeciebus nimis ſubtiles, horumque nimiam ſubtilitatem non modo non probauit, ſed vanam et ſuperfluam declarauit. Perpauca vbique morborum genera ilic nominauit, et HIPPOCRATE nemo melius morborum cognationes perſpexit, quae docent abunde, perpauca eſſe genera ſumma eorum, et non adeo ab inuicem diuerſa, vt quidem iudicant multi, quibus nunquam contigit perſpicere naturae ſimplicitatem ſummam. Lectu digniſſima ſunt, quae paſſim occurrunt de morborum cognatione in libro, qui de *Flatibus* inſcribitur, paſſim obſcuro quidem, neutiquam vero, cum ſermo de morbis, qui qui ad idem genus pertinent omnes.

Eſt elegans locus, quem FOESIVS in eo libro ſic latine fecit: "*morborum autem „omnium cum idem modus ſit, locus tamen di- „uerſus*

„*uerſus eſt. Morbi igitur ob locorum varie-*
„*tatem et diſſimilitudinem, nihil inter ſe ha-*
„*bere ſimile videntur. Eſt tamen vna et ea-*
„*dem omnium morborum forma ac cauſſa, etc.*"

Pulcherrime non ſolum HIPPOCRATES edixit, morbos non propter ſedem diuerſam diuerſae indolis eſſe habendos, ſed potius eiusdem indolis morbos poſſe occupare diuerſas partes corporis humani. Praeclare quoque perſpexit ille cognationem morborum omnium, qui ſunt cum inflammatione nobiliorum partium internarum, exemplo pleuritidis atque peripneumoniae, et non ignorauit morbos eſſe ſimiles, qui ſimilibus ſymptomatibus aegrotos afficiunt, qui a' ſimilibus naſcuntur cauſſis, et qui eadem finiuntur criſi, ac denique vnam eandemque medendi rationem poſtulant. Diui ſenis veſtigia ſequuti ſunt ALEXANDER, AETIVS, ARETAEVS, reliquique graeci omnes ad GALENVM vsque.

Is omnino primus eorum appellandus eſt, qui prolixiori ſermone ſcripſere ſuper morborum horumque ſymptomatum ac cauſſarum diſcrimine. Non ſolum autem fuſe pertractauit omnem pathologiam, ſed et ſubtiliter nimis recenſuit morborum diſcrimen omne.

Tria ille ſtabiliuit ſumma morborum genera, ſcilicet *intemperiei, malae conformationis*

et ſolutae denique vnitatis. Mira profecto res eſt per tot ſecula huius viri dogmata in ſcholis medicorum recepta fuiſſe. Ingens turba commentatorum et doctorum ne quidem vnguem latum a ſententiis GALENI recedere auſa eſt. Strenuum aſſeclam inuenit in G. W. WEDELIO, nec multum G. E. HAMBERGERVS ab ea GALENI morborum diuiſione deflexit, ſed integram fere in ſcholis ſuis docuit, quod cognoui ex viri b. ſchedis pathologicis, nondum editis.

Methodicorum illam doctrinam non plane intelligimus, nam breuiter ſolummodo CELSVS narrat, illos tria ſumma morborum genera ſtabiliuiſſe, *ſtrictam ſcil. laxum* et *mixtum*, et ſolus hodie ſuperſtes eſt COELIVS AVRELIANVS, e ſchola illa clarus auctor. Neque GALENI, neque *methodicorum* tria genera morborum apte ſatis complectuntur omnes morbos, vt plura ſint omnino ſtabilienda et aſſumenda, quod omnes deinceps perſpexere, qui eandem doctrinam noſologicam pertractarunt. GAVBII diuiſio morborum atque ſymptomatum tota GALENI eſt, dogmata vero ſunt partim BOERHAAVII, partim propria v. c. de morbis ſolidi viui, et quae ſunt reliqua. Sed quod ille diſcrimen inter morbos motuum vitalium et animalium retinuit, non magni momenti eſt.

Eius

Eius quoque diuiſio inter ſenſationes moleſtas ex morbo, exercitationes ſenſuum laeſas et motricis facultatis ſymptomata, non multum diuerſa ſiſtit mala. Singula enim ſunt morbis ſolidi viui annumeranda, et ad vnum genus ſummum pertinant omnia.

Boerhaavius ipſe ſolummodo in Aphoriſmis pathologiam generalem, quae tractat morbos ſimplices, ſyſtematice diſpoſuit, reliqua capita vero ex arbitrio potius, quam ſecundum leges ſyſtematis coordinauit.

Viri ſummi diſcipulus Io. de Gorter in Praxi med. nimia fere ſubtilitate, diſpeſcuit et nimium auxit genera morborum ſecundum notiones mechanicas. Ab *Arabum* tempore mos inualuit deſumendi morborum diuiſiones et differentias a partibus laborantibus ipſis, eamque vltimus nuper adhuc retinuit diuiſionem Andr. Picquer, qua tamen nihil magis abhorret ab ordine ſyſtematico nihilque magis a legibus de rebus ordinandis, quas logica proponit, alienum eſt, quod nec ipſe Hippocrates olim ignorauit. Fridericus Hoffmannus, qui eodem tempore docuit et ſcripſit, quo Boerhaavius celebritatem nactus erat, promiſit *medicinam ſyſtematicam*, at non eget prolixiori demonſtratione, virum eximium non magis felicem fuiſſe in morbis diſtribuendis anteceſſori-

ceſſoribus ſuis. Magni ego facio merita viri doctiſſimi, ſed magis amica mihi veritas iubet fateri, male cohaerere in opere illo capita permulta.

Sennertus antea iamiam in diſtribuendis morbis occupatus fuerat, et qui locum hic ſibi vindicat Ionstonus, in *ſyntagmate med. vniuerſae*, typis ſaepius exſcripto. Sed merito reprehendit Franc. Boissier dictus de Sauvages in praef. Noſologiae naeuos doctrinae huius viri. Ex eius mente enim apoplexia, mania, rabies, cephalgia, non ſunt morbi, e contrario autem vari, verruca, lentigo morbis adnumerantur.

Neceſſitatem ſummam ſtudii noſologici, quod noſtra aetate inprimis excolere coeperunt medici, perſpexerant viri ſummi Sydenhamus et Baglivus, ſtrenui vindices doctrinae Hippocraticae, hoc eſt veriſſimae, quaeque ab omni tempore a principibus in arte noſtra viris ſummum exemplar habitum fuit. Ille enim ait in praefatione Opp. "*expedit, vt morbi omnes ad definitas ac certas ſpecies reuocentur, eadem prorſus diligentia ac ἀκριβείᾳ, qua id factum videmus a Botanicis ſcriptoribus in ſuis Phytologiis* etc. Hic vero ſcribit. *Prax. med.* L. II. Cap. IX. "*inter praecipua artis noſtrae deſiderata illud merito reponimus, vt ſcilicet*

„ſcilicet ſinguli quique morbi in tot ſpecies ſub„diſtinguantur, quot ſunt morbi primarii a „quibus fouentur, aut cauſae vehementes con„ſtanteſque, a quibus producantur etc." Sed quod ſpecies attinet, de quibus in praeſenti nondum loquor, ſed alia occaſione, neminem fugit, fragmenta nonnulla paſſim exſtare apud veteres et recentiores. Quis enim ignorat variolarum ſpecies, quas RHASES iamiam deſcripſit, vel ſpecies Phthiſeos, quas MORTONVS eximie pertractauit, vt alia nunc taceam exempla. Sermo eſt enim potius de vniuerſo ſyſtemate morborum, deque generibus ipſis, quotquot ſtabilienda ſint. Et in eo quidem ſtudii genere eximias laudes promeruit praeceptorum meorum certe optimus, nunc quidem deſideratiſſimus, vir ingenio et eruditione excellens, et ſuo tempore Polyhiſtor, CHRIST. ANDR. MANGOLDVS. Is certe longe ante FRANC. BOISSIER de condendo ſyſtemate medicinae practicae nouo, facili ac certo cogitauerat. Specimina ipſe dedit huius ſyſtematis, de vlceribus, tumoribus, apoplexia, hydrophobia, et exanthematibus, quae in opuſculis olim a me editis recuſa leguntur. Mature iuuenis ego, tanti viri doctiſſimi dilectus diſcipulus didici, quae eſſet praeceptoris cariſſimi ſententia. Saepius deinde mecum per epiſtolas egit, et poſt mortem ſchedas praecipuas viri laudati legi et in vſus

vſus meos deſcribi curaui, quas coram habeo. Paulo ante vir in medicina graecorum eruditiſſimus, et vniuerſae Germaniae princeps decus, et academiae Lipſienſis, quae habuit Bohnios, Guntzios, Platneros, eruditione elegantiori claros, inſigne ornamentum, vir omni laude maior, Io. Ern. Hebenstreit publici iuris fecerat ſpecimina ſeptem *ordinis morborum*, quae legiſſe poenitebit neminem, etſi videam legiſſe paucos. Is tantam eruditionis copiam in illis libellis denuo monſtrauit, quantam ex ſpeciminibus antea editis παλαιολογιας cognouerant omnes.

Franc. Boissier prodromus operis maioris absque mentione anni prodiit, et inſcribitur *Nouvelles claſſes des maladies*, Auignon, quem librum a paucis viſum, quoque coram habeo.

Eius methodum amplexi ſunt mox nominandi et paſſim emendarunt eam. Quos inter princeps fuit b. Aurivillius, nimis praematura morte ereptus nobis, et cuius ſpecimina quaedam in ſylloge, quam edere coepi, conſeruare et publici iuris facere non dubitaui.

Viennenſes nonnulli Preisinger, Ganther, de Menghin et Glossius hic nominandi ſunt, qui editis ſpeciminibus academicis varia capita pathologiae ad mentem medici Monspelienſis pertractarunt.

Seque-

Sequebatur Car. à Linné, cuius *Genera morborum* prodiere primum Vpſal. 1763, in quae legi meretur b. Vogelii cenſura in Bibl. med. Vol. V. P. II. p. 166.

Paulo poſt ipſe b. Vogelivs edidit *morborum genera*, et deinceps in libro de *cognoſc. et curand. morb.* ſyſtema nouum vberius perpolitum nobiscum communicauit.

Anno 1769. Edinb. primum, deinde 1772. iterum ibidem foras dedit Cl. Cvllen Noſologiam, eodem anno L. B. recuſam, et nuper Amſt. 1775.

Mackbride ſequitur potiſſimum Boissier, et ex eius libro ſpecies morborum recenſuit. Cl. Sagar noui operis prodromum ſcripſit 1771 et 1776. opus abſolutum publici iuris fecit, in quo potiſſimum ſequitur Fr. Boissier, ſaepe tamen ipſe ſpecies nonnullas morborum auxit.

Pathologiae pſychologico anthropologicae conſpectum Cl. Siegwart Tubing. 1759. propoſuit, qui continet ſyſtema a ſymptomatibus deſumtum.

Prodiere in Anglia James Makittrick, *commentaries on the principles and practice of Phyſic*, quem librum, qui continet Noſologiam, nondum vidi.

Lipſienſis

Lipſienſis ille celeb. Prof. b. LVDWIGIVS omnes morbos in tres ordines redegit, ſcil. vaſorum ſanguiferorum, lymphaticorum et denique neruorum. Cl. NEIFELD praeceptoris ſui ſchema ſuum fecit.

Paucis monendum eſt, b. VOGELIVM et Ill. KLINKOSCH herniarum diuiſiones, Cl. SELLE febrium, Cl. PLENCK, tumorum, vitiorum cutis, et morborum oculi ſeorſim tradidiſſe, de quibus in ſequentibus erit ſermo.

Exhibeo nunc conſpectum generalem quinque ſyſtematum, quae ab auctoribus ſuis ſolertiori ſtudio exarata habemus.

SYSTE-

SYSTEMATA NOSOLOGIAE.

I. *Franc. Boiſſier de Sauvages.*	II. *Linnéi.*	III. *Vogelii.*	IV. *Cl. Sagar.*	V. *Cl. Cullen.*
I. Vitia.	I. Exanthem.	I. Febres	I. Vitia.	I. *Pyrexiae.*
II. Febres.	II. Critici.	II. Profluuia.	II. Plagae.	1. Febres.
III. Phlegmaſiae.	III. Phlogiſtici.	III. Epiſcheſes.	III. Cachexiae.	2. Phlegmaſiae.
IV. Spaſmi.	IV. Dolores.	IV. Dolores.	IV. Dolores.	3. Exanth.
V. Anhelationes.	V. Mentales.	V. Spaſmi.	V. Fluxus.	4. Haemorrhag.
VI. Debilitates.	VI. Quietales.	VI. Adynamia.	VI. Suppreſſiones.	5. Profluv.
VII. Dolores.	VII. Motorii.	VII. Hyperaeſtheſes.	VII. Spaſmi.	II. *Neuroſes.*
VIII. Veſaniae.	VIII. Suppreſſorii.	VIII. Cachexiae.	VIII. Anhelae.	1. Comata.
IX. Fluxus.	IX. Euacuatorii.	IX. Paranoiae.	IX. Debilit.	2. Adynamiae.
X. Cachexiae.	X. Deformes.	X. Vitia.	X. Exanth.	3. Spaſmi.
	XI. Vitia.	XI. Deformes.	XI. Phlegmaſ.	4. Veſaniae.
			XII. Febres.	III. *Cachexiae.*
			XIII. Veſaniae.	1. Marcores.
				2. Intumeſcentiae.
				3. Impetigines.
				IV. *Locales.*
				1. Dyſaeſtheſiae.
				2. Dyſcineſiae.
				3. Apocenoſes.
				4. Epiſcheſes.
				5. Tumores.
				6. Ectopiae.
				7. Dialyſes.

Sunt genera quaedam morborum, quae uaſi ordines naturales ſiſtunt, et nemine ontradicente genera illa perpetim ſibi vindiant locum in omni ſyſtemate ſtabiliendo. unt vero Vitia, Febres, Phlegmaſiae, Cahexiae, Fluxus, Spaſmi, Dolores, Veſaiae. Eadem genera morborum et antea OERHAAVIVS et FR. HOFFMANNVS, t fere medicorum quisque agnouere et perpexere, plures morborum ſpecies a ſingulis lis generibus non poſſe ſeiungi. Vitium veeres generatim appellabant id omne, quod praeter naturam a venuſtate alienum erat, etſi non ſemper oeconomiae animalis laeſio ſimul adeſſet, ideoque a morbo ipſo diſtinguendum, quamquam non ignorarent, eſſe cognationem quandam vitiorum et morborum, vt perſaepe a variis vitiis poſſent oriri varia morborum genera. Erant itaque vitia illa nunc exanthemata quaedam leuioris momenti, v. c. lichenes, aut tumoris quoddam genus, v. c. verruca, membrum deforme, ſiue magnitudinem eius, nexum, ſitum ſpectes, hinc vitium organicum dictum, quibus praeſentibus omnino ſanitas ipſa ſaepius non ſtatim turbata animaduertitur. Morbum tamen nonnunquam generatim appellabant, quicquid praeter naturam eſt, hinc vno eodemque vocabulo nunc vitia illa, nunc functionum laeſionem quamcunque complecti ſo-

lemne erat. Nec hodie vſus loquendi hanc doctrinam euertit, nam ſana ratio hoc diſcrimen dictitat, et res ipſa confirmat. Vt vero medicorum ſententia circa notiones rerum primas inſtabilis eſſe ſolet, b. VOGELIVS et b. LINNEVS diſſentiunt hac in re, a more loquendi ab omnibus antea recepto. Etenim vtriſque aliud eſt vitium, aliud deformitas. LINNEI morbi deformes ſunt aliorum cachexiae. VOGELIO vitii nomine venit ſolummodo mutatio quaedam in ſuperficie, deformitas vero ait ille, eſt omnis figura aliena nexus aut ſitus p. n.

Febris apud Cl. CVLLEN eſt genus inferius, et vocabulo generali Pyrexiae complectitur ſimul haemorrhagias. Sed quem fugit, plures dari ſpecies haemorrhagiae, in quibus ne minima adſunt febris veſtigia, vt non inepte poſſint moneri quaedam contra virum Cl. neque enim omnis haemorrhagiae cauſſa eſt plethora, neque ſanguinis rarefactio aut ebullitio. Non raro etenim partis alicuius debilitas, aut ſpaſmi vehementiores absque ſignis febris, aut eroſio vel diſruptio vaſorum a cauſſa interna, ſolent efficere haemorrhagiam, vt iure poſſit affirmari, eundem morbum modo his, modo illis generibus ſummis in ſyſtemate noſologico eſſe adnumerandum. Exanthemata, morbos criticos,

cos, et phlogiſticos diſtinguit LINNEVS. ed hic quoque varia monenda ſunt. Etenim aec tria LINNEI genera, iterum conſti- uunt vnicum ſolummodo genus, cum ple- umque exanthemata illa ſint cum febre, et norbi phlogiſtici vix a criticis diuerſi. Ite- um quoque monendum eſt, non in omni hlogoſi ſanguinis, ſimul adeſſe topicam quan- am inflammationem. Ophthalmia denique, uam phlegmaſiis adnumerauit Cl. CVLLEN, on raro adfuit, abſente omni febre et do- ore. Exanthemata porro fere ſingula inter- um ſine omni febre adſunt, aut febris adeo nitis deprehenditur, vt ceu nulla conſide- ari poſſit, cum e contrario gradus et ve- ementia ſymptomatum febris nonnunquam iriſſime vexare queant aegrotum.

Recentiorum ſententia vult, vix vnquam yſenteriam eſſe absque febre, ſed nec haec octrina omni exceptione maior videtur. Nil icam de benigniſſima dyſenteriae conſtitu- ione epidemica, quam nonnunquam obſer- are licet, ſed ſolummodo liceat in memo- iam hic reuocare, quae a nuperis nonnul- is animaduerſa legimus, in peſſima dyſente- ia interdum vix febris ſigna vel doloris ad- uiſſe.

Phlegmaſia apud FR. BOISSIER ſimul complectitur febres inflammatorias et exan-

 thema-

thematicas, vt pro characțere generico agnoſci debeat rubor late occupans partem quandam praeter naturam.' LINNEVS autem diſtinguit iterum, et ſeorſim exanthemata, ſeorſim phlogiſticos morbos recenſuit, et eundem ſequitur Cl. CVLLEN.

Spaſmorum familiam omnes ſeorſim habent, ſolus L. motorios vocat morbos. Spaſmus, conuulſio, 'vix ab inuicem diſtingui debent, nam vix vlla differentia adeſt, et hoc vocabulum genericum L. non ſatis adaequate adhibetur. Morbis neruorum annumerauit Cl. CVLLEN ſpaſmos. Nullum eſt dubium, a neruorum affectione ſaepius ſpaſmos oriri, ſed ab altera parte nullus dubito, non ſemper a neruorum irritatione quadam, vel affectione ſpaſmum oriri. Non omnis enim nerui irritatio ſpaſmum producit, ſed nunc dolorem aut delirium, et ſaepe quoque neruus inſons videtur, licet adſint vehementiores ſpaſmi. Spaſmi ſedes et cauſſa in muſculis potius, quam in neruis ipſis quaerendae ſunt.

Proxima eſt cognatio dolorum cum ſpaſmis ipſis, hinc praeter Cl. CVLLEN caeteri omnes hoc genus ſeorſim pertractarunt. Is vero morbis ſuis, quos *locales* dixit, dyſaeſtheſian et dyſcineſian ſ. ſenſus et motus vitia

-itia adnumerauit, qui tamen morbi iure potiori morbis neruorum fuiſſent adnume-randi. Hyperaeſtheſis Vogeliana, quae ſingulare genus morbi conſtituit, quoque ner-uorum vitium eſt, a quorum irritatione va-ria et deliria oriuntur et comata, et Adyna-miae quorundam. Deliria mox appellant Veſaniam, mox Paranoian, mox denique morbos mentis.

Non itaque hic occurrit emendatio do-ctrinae, ſed potius vocabula noua occurrunt, et ſynonyma citra neceſſitatem augentur.

Continuabimus argumentum noſtrum ſpe-cimine ſecundo, quod iam ſub prelo ſudat.

XIV.

PROGRAMMA.

ANIMADVERSIONVM IN SYSTEMATA NOSOLOGIAE SPECIMEN II.

D. XXVIII. IVL. MDCCLXXVIII.

Pergo nunc in recenſendis animaduerſionibus ſuper ſyſtematibus Noſologicis, quarum ſpecimen primum publici iuris feci occaſione diſputationis Nobiliſſ. Siëmerling.

Sex genera morborum ſumma, ſcil. vitia, febres, phlegmaſias, exanthemata, ſpaſmos atque dolores hactenus pertractaui. Sequitur aliud, quod *Veſaniam* alii, *Mentales* L, *Paranoian* Vogelivs, appellat.

Mens turbata eſt, et neque recte ſentit obiecta, neque recte diiudicat animo. Solummodo aliud vocabulum placuit Linneo et Vogelio eligere, rem ipſam nemo mutauit. Adeo certum eſt, deliria ſiſtere ordinem morborum naturalem.

Aliud

Aliud genus ſummum eſt *Anhelatio* FR. BOISSIER, et Cl. SAGAR, quo morbos complecti volunt, qui ſolent reſpirationem difficilem reddere. *Suppreſſoriis* ſuis L. annumerauit, reliqui Noſologi ad alia genera morbos illos amandarunt, vt nullibi magis diſſentire videam, quam in eo morbi genere ſummo. Circa reliqua enim conſentiunt egregie.

Vocabula noua, barbara, ab omni genio linguae longe aliena, quae excogitauit FRANC. BOISSIER, hic nolo taxare, cum nemini potuerit placere libido haec, noua prorſus fingendi vocabula. Paſſim vero Cl. PLAZ in progr. nonnullis de paedantiſmo medico editis, iamiam percenſuit barbara illa, immo ridicula vocabula nuper excogitata, quorum copiam nuperrime Cl. SAGAR inſigniter auxit, aliis ab ipſo excogitatis ad exemplar anteceſſoris ſui, FR. BOISSIER. Vix olim antiſtites ſectae chemicae, TEOPH. PARACELSVS, HELMONTIVS, aliique magis horrenda vocabula excogitarunt, quam hi duumuiri.

Quod vero attinet diuiſiones morborum inferiores, vt appellant, innumera eſſent monenda, vt vix finem inuenirem, ſi ſeorſim enumerare vellem, quae iure monenda habeam contra ſingulorum diuiſiones.

Magno artis noſtrae detrimento factum eſt, vt nominibus aliis et vocabulis quisque res ipſas inſigniret. Huic placuit vocabulum latinum, illi arriſit vox graeca aut graecae ſaltim ſimilis.

Ea vero ſynonyma non ſolum augent citra omnem neceſſitatem, repeto, eorum quae memoriae mandare debemus, copiam, ſed quod peius, alia artis noſtrae vocabula, a variis vario ſenſu accepta, nunc ſunt magis aequiuoca, quam erant olim.

Inflammationem vteri ex puerperio infelici nemo olim cogitauit absque febre, quae nunc audit modo *Gaſtritis*, modo *Metritis*, immo *Hyſteritis*.

Hercvle opus eſſet, qui denuo a ſordibus et quisquiliis repugnaret artem noſtram.

Incidit in Scyllam, qui volebat vitare Charybdin. Inter omnes maxime caſſum ſe geſſit Cl. Cvllen, cuius Noſologia etiam prodromum operis maioris ſiſtit, quod promiſit ille, quodque non ſine cupiditate expectat et exoptat quisque, qui non ignorat viri doctiſſimi haud vulgarem, ſed praeclaram eruditionem.

Eius librum perutilem cenſeo, meisque laudo et commendo, et adeo quidem, vt

carere

rere illo nequeant. Characteres morborum, ucis ſolummodo exceptis, eximie tradidit, minuendis morborum ſpeciebus ſtrenuum probauit, ſynonyma, quorum notitia nunc rere poteſt nemo, praecipua enumerauit, pauciſſima vocabula noua excogitauit, ſed oique ſtrenuum vindicem veterum Graecorum geſſit, et ſi quae noua vocabula eſſent adbenda, graecae linguae genio conuenientia nnino elegit, ideoque ſummas laudes metur vir doctiſſimus et eruditiſſimus.

Sed quis non animaduertit ſtatim, ſi vet attento animo conſiderare ſchema mororum viri egregie docti, eſſe *mixti generis* que eam ob cauſſam iuſtam cenſuram non oſſe effugere. Etenim aliam diuiſionem mororum facit eorum, qui vulgo vniuerſales ocantur, aliam qui particulares dicuntur. eparauit itaque noſter morbos, quos ſepaare non debuiſſet. Profluuiis noluit iungere pocenoſes, ſeu fluxus muci, hinc morbos ffines, qui ad vnum genus pertinent, ſepaauit. Seorſim Ectopiae et Dialyſeos menonem fecit. Ego vero affirmo, aut iunſtim vitiorum titulo ſimul debuiſſe pertractare Cl. Auctorem haec duo genera, aut longe lura fuiſſe ſtabilienda. Intumeſcentiae et umores ſeorſim quoque occurrunt, ab aliis ero ad vnum genus ſummum, omni iure referri ſolent.

In b. VOGELII ſyſtema varia quoque notanda veniunt. Is ad alias claſſes amandauit Lethargum, Hydrophobiam, Apoplexiam, Paralyſin, Catalepſin, varia viſus vitia, Vertiginem, appetitus vitia, qui morbi vnacum aliis, quos nona claſſe recenſuit et pertractauit, ab aliis iamdudum ad vnum genus ſummum relati fuere.

Non abs re erit, in tabula quaſi denuo repetere praecipua morborum genera, ſecundum ſyſtemata Noſologica, Specimine I. p. 9. recenſita, vt eo melius pateat et conſenſus et diſſenſus laudatorum auctorum.

Patet

I. *Vitia.*	IV. *Exanth.*	VII. *Anhelat.*	X. *Fluxus.*
Boiſſ. I.	Linn. I.	Boiſſ. V.	Boiſſ. IX.
Linn. XI.	Cullen. I. 2.	Linn. VIII.	Linn IX.
Vogel. X. et XI.	Reliqui cum Febre er Phlegmaſ.	Vogel. IV.	Vogel II.
Sagar. I. et II.		Sagar. VIII.	Sagar. V.
Cullen. IV. 5. 6!		Cullen. ap. Spaſm. II. 3.	Cullen I. 4. 5.

II. *Febres.*	V. *Spaſmi.*	VIII. *Veſan.*	XI. *Epiſcheſes ſ. Suppreſſorii.*
Boiſſ. II.	Boiſſ. IV.	Boiſſ. VIII.	Linneus. VIII.
Linn. I. II. III.	Linn. IV.	Linn. V.	Vogel. III.
Vogel. I.	Vogel. V.	Vogel. IX.	Sagar. VI.
Sagar. X. XI. et XII.	Sagar. VII.	Sagar. XIII.	Cullen. VI. 4.
Cullen. I. 1. 2. 3.	Cullen. II. 3.	Cullen. II. 4.	

III. *Phlegmaſ.*	VI. *Dolores.*	IX. *Debil.*	XII. *Cachexiae.*
Boiſſ. III.	Boiſſ. VII.	Boiſſ. VI.	Boiſſ. X.
Linn. III.	Linn. VII.	Linn. VI.	Linn. X.
Vogel. c. Febr. I.	Vogel. IV.	Vogel. VI.	Vogel. VIII.
Sagar. XI.	Sagar. IV.	Sagar. IX.	Sagar. III.
Cullen. 1. 2. 3.	Cullen ad alia capita retulit.	Cullen. II. 2.	Cullen. III.

Patet duodecim eſſe genera morborum, quae ex mente horum virorum complectuntur morbos, quotquot innotuere, omnes ac ſingulos.

Ex his vero alia cum aliis cognationem habent aut maiorem aut minorem; de ſingulis nonnulla ſeorſim moneo.

Vitia ſanitatem ipſam nunc magis, nunc minus laedere ſolent. Interdum vix laedi a vitiis ſic dictis functiones, iam ſupra dictum. Siſtunt vitia nonnunquam morbos ſimplices, nunc vero conſiderari poſſunt tanquam cauſſae, quae ad alios morbos diſponunt.

Etenim vitium nunc euadit cauſſa febris, phlegmaſiae, ſpaſmi vel doloris, nunc delirii, vel fluxus.

Febres ſaepius ſunt cum phlegmaſia et exanthemate, et tria haec morborum genera tantam cognationem habere videntur, quantam vix habent caetera. Omnia vero ſaepius in cachexiam quandam degenerare ſolent, maxime cum finiuntur, criſi quadam imperfecta.

Spaſmus et *Dolor* non raro a cauſſa communi naſci ſolent, prout nunc muſculi aut nerui magis afficiuntur.

Deliria mox a febre oriuntur, mox a ſpaſmo, mox denique a dolore, vt iterum late

late pateat horum morborum cognatio. E contrario autem dolor saepe febrim gignit, et phlegmaſiam et ſpaſmum producit.

Anhelationis cauſſa nunc eſt febris, nunc ſpaſmus vel dolor, vbique vero anhelatio mixtum morbum ſiſtit. Idem fere dicendum eſt de adynamia et debilitate, in qua nunc ſpaſmum agnoſcimus, nunc vero effectum alius morbi praegreſſi. Et muſculorum et neruorum abolita prorſus functio in adynamia illa fere ſemper praeſto eſt.

Fluxus cum ſanguinolenti, tum ſeroſi cognationem habent cum febribus, phlegmaſiis, exanthematibus, et cum ſpaſmis atque doloribus, nec non cachexia ipſa; nam interdum ſunt effectus horum morborum. *Epiſcheſes* ſ. *ſuppreſſiones* excernendorum a ſpaſmo, dolore, cachexia nonnunquam natales repetunt.

Cachexia morborum agmen quaſi claudit, nam vix vllum reperitur morbi genus, cui non poſſit interdum ſuperuenire cachexia tanquam effectus. Etenim oritur a febribus, phlegmaſiis, ſpaſmis, doloribus, delirio, maxime chronico, et a profluuio quocunque immoderato, quod vires atque humores exhaurit ac conſumit. Quae dicenda reſtant, ea propediem communicabo.

XV.

XV.

PROGRAMMA.

ANIMADVERSIONVM IN SYSTEMATA NOSOLOGIAE SPECIMEN III.

DE PYRETOLOGIA GENERATIM.

1778.

Scripſi nuper programmata duo, quae continent epitomen hiſtoriae Noſologiae, ſimulque animaduerſiones nonnullas proprias, quibus nunc alias ſubiungere placet, antequam de febrium doctrina quaedam proponam.

Fr. Boissier, et qui eius ſtrenuus aſſecla, Cl. Sagar, non ſemper ſecundum logices praecepta enumerarunt morborum ſpecies. Nimia horum virorum ſubtilitas omnibus atque ſingulis diſplicuit. Morbos enim veros et fictos ſ. ſimulatos, nec non hominis et brutorum, ceu ſpecies diſtinctas, ad vnum genus retulerunt ſaepe ſaepius.

Quod vero prae ceteris ab aliis iamiam annotatum legimus, in eo ſaepius errauit b. Bois-

BOISSIER, quod hiſtorias morborum ſingulares ſtatim ceu ſpecies diſtinctas in ſyſtema ſuum receperit, et eandem admiſerit fallaciam, quam in Cnidiis iam olim HIPPOCRATES taxauit.

Etſi vero FR. BOISSIER non raro nimis multas morborum ſpecies in ſyſtemate noſologico deſcripſerit, et licet eius diuiſio et diſtributio morborum non ſit optima, nec in totum laudanda, laudes tamen eius liber meretur. Sedulo enim ex libris permultis, iisque partim rarioribus multa collegit, quae lectu digna ſunt, immo ſcitu neceſſaria. Eius libro itaque vix carere poſſumus, quoniam compilationem continet haud contemnendam.

Laudes Cl. CVLLEN iam antea recenſui. VOGELII accurata morborum deſcriptio, et cum epicriſi facta compilatio, iamdudum placuit omnibus ac ſingulis, et laudes omnium obtinuit.

Febres nunc generatim conſiderabo. HIPPOCRATES princeps exſtitit et ſummum exemplar obſeruatoris, cuius L. I. et III. *Epidemiorum* ad noſtra vsque tempora vnicum manſere exemplar medicorum omnium.

Accu-

Accurate deſcripſit ille febrium hiſtoriam; t conſtitutionis epidemicae genium, origi- es, progreſſum et mutationes, omnes ac ngulas, criſes varias, quas obſeruauerat ſe. Alibi accuratam dedit pleuritidis de- criptionem. Ab aliis iamiam annotatum eſt, deo rudes adhuc HIPPOCRATIS tempore uiſſe medicos, vt vix poſſent plurimi vnam orborum ſpeciem ab altera diſtinguere. rinceps itaque HIPPOCRATIS meritum oncernit accuratas morborum hiſtorias, no- iones, et praeſagia de euentu et criſi varia yſtema ille non ſcripſit, aut excogitauit. aſſim tamen in genuinis HIPPOCRATIS criptis occurrunt dogmata quaedam, quae a naioribus acceperat, nam qui fieri potuiſſet, t omnia et ſingula, quae in propriis ſcrip- s docuit, excogitaret ipſe. Pauci enim qui cripſere vnquam, ea quae docuere, omnia c ſingula ipſi inuenere. HIPPOCRATES oſter licet Noſologiam non ſcripſerit, bene amen ſciuit, alias febres eſſe indolis inflam- natoriae, alias a bile oriri, alias eſſe malig- as, et quae ſunt reliquae febrium ſpecies. n libris epidemiorum aliquot hiſtoriae febri- m occurrunt, quae putridae ſunt indolis.

Febres plurimae a bile fiunt, legitur de Nat. hum. ap. HIPP. ed. LIND. T. I. p. 79. Sect. 27. Alibi autem dicit, febres

fiunt

fiunt a bile et a pituita. Bilioſarum febrium apud HIPP. libro de diebus indicatoriis ed. LIND. T. I. p. 433. Sect. III. accurata occurrit deſcriptio.

GALENVS ſuper febrium differentiis ſubtiliter admodum philoſophatus eſt. Sed eius L. II. de differentiis febrium, ſubtiles magis continent quaeſtiones et diuiſiones, quam deſcriptiones accuratas generum ac ſpecierum. Pauca enim ſolummodo febrium genera, minime omnia ibi recenſuit. Velim tamen, vt Cl. GRVNERVS denuo edat eius libri nouam editionem graeco-latinam, cum ſcholiis perpetuis, et ſelectioribus commentatorum annotationibus illuſtratam. Eſt enim primus eorum, qui ex inſtituto ſuper febrium differentiis ſcripſere. Antiquiſſima eſt GALENI diuiſio Synochi vel Synochae in ſimplicem et putridam, quam recentiores omnes ac ſinguli non auſi ſunt refutare, et, quae ſatis abunde docet, quanta ſit huius viri auctoritas. SWIETENIVS nuper in commentariis ſuis in Aph. BOERHAAVII 728, 730 et ſeq. prolixiori ſermone explicuit GALENI et veterum omnium ſententias de vtraque febris ſpecie, inprimis vero ſubtiliter explicuit naturam febrium putridarum. Erat GALENI ſententia, eſſe magnam cognationem febrim inter inflammatoriam

riam ſimplicem, eiusque ſummum gradum, et febrim putridam ſanguineam, nec ab ea ſententia recedere auſus eſt BOERHAAVIVS, nec eius epitomator TISSOTVS, in libro quem inſcripſit *Avis au Peuple*, quod patet inprimis ex eius deſcriptione Pleuritidis et Peripneumoniae. Arabes, et *Auicenna* inprimis ſubtiliſſime interpretati ſunt GALENI doctrinam, et illius commentatores, e quibus nominandus eſt ſaltim *Gentilis* a *Gentilis*, adeo prolixo ſermone illuſtrare ſtuduerunt *Auicennam* vt nemo fere legere poſſit hodie. Medici denique, quibus philoſophia ſcholaſtica arriſit, adeo ſubtiliter ſuper febribus diſputarunt, vt tuto affirmare poſſim, fere omnem fidem ſuperaturum eſſe, quot commenta in horum libris occurrant, niſi ad manus haberem. Solum hic nominabo THOMAM ERASTVM, cuius liber de putredine etc. prodiit Baſileae 1580, 4. et cui accedit eiusdem aduerſarii *Archangeli Mercennarii*, diſp. de putredine. Alterum inuenit ERASTVS aduerſarium SIMONEM SIMONIVM, STEPHANI I. Regis Polonor. Archiatr. cuius liber de putredine prodiit *Crac ouiae*, 1584. 4.

Curioſitatis gratia nominatis auctoribus addo IO. MATHESIVM, qui Vitemb. 1577. de loco putredinis in febribus intermittenti-

bus diſputauit. Etſi vero hi omnes ridicule magis, quam docte ſcripſerint de putridis febribus, id tamen notandum venit, omni tempore eam fuiſſe medicis ſententiam, febres oriri nonnunquam a putredine, ſiue ſanguinis, ſiue bilis.

Mirum eſt, FRANCISCVM SYLVIVM DE LE BOE deinceps docuiſſe, eas omnes febres ab acido oriri, quas Graeci ſinguli pro inflammatoriis habuerunt. Graeci autem ſolebant nonnunquam peculiari quodam vocabulo febrim inſignire, in qua ſymptoma quoddam maxime vrgens obſeruabant. Graecorum Cauſos, Lipyria, Aſſodes, Phricodes, et quae ſunt reliquae, neutiquam ſiſtunt tot ſpecies febrium diuerſas, ſed potius varietates ſignificant febris bilioſae, et ad vnum idemque genus pertinent omnes. Non debuiſſet itaque ſummi BOERHAVII diſcipulus doctiſſimus GORTERVS in Praxeos medicae ſyſtemate de illis ſeorſim ſcribere, ceu tot ſpeciebus diuerſis.

Italis et Anglis debetur potiſſimum emendata Pyretologia poſt eximium BALLONIVM, qui primus recte docuerat, febrium fomitem nunc delitеſcere in venis, nunc in infimo ventre, ideoque duplex genus febrium exiſtere, quarum alias *venoſas*, alias *gaſtricas* appellauit.

BAGLI-

Baglivvs ille eximius Hippocraticvs medicus, et immortale decus Italiae, eximie deſcripſit febres meſentericas et gaſtricas, ſimulque veram rationem docuit, quare ars noſtra vix noua caperet incrementa, libidinem ſcilicet effingendorum ſyſtematum. Edocti a Baglivo Germani agnouere veritatem, quam vir eximius docuerat, febres ſaepius a colluuie ſordium in primis viis et meſenterio ipſo oriri, ſimulque non raro ſubeſſe inflammationem illarum partium. Fridericvs Hoffmannvs in M. R. S. iamiam anteceſſoribus ſuis accuratus febres meſentericas et inteſtinales deſcripſit. Anno 1772. Roſtochii Chr. Mart. Bvrchard diſſ. de febribus meſentericis acutis edidit, et Baglivi doctrinam non male vberius expoſuit, et ab eo tempore in Germania in dies magis innotuit, febres permultas, typo admodum diuerſas ex ſola colluuie in primis viis naſci.

Franciscvs Torti occaſione virium corticis Peruuiani, quae multifariae ſunt, nam pluribus immo fere omnibus febribus medetur, iuſto tempore adhibitus, p. m. 421. (ed. Frft. 1756. 4t.) ſtemmata febrium dedit, quae declarant illarum cognationes et degenerationes varias.

Torti mens ea fuit, vt doceret ſimul, febres typo et ſchemate toto coelo diuerſas ad vnum tamen omnes ſummum genus pertinere, et aliquando ſic degenerare interdum febrim, vt alia ſpecie ſolummodo appareat, quanquam eius cauſſa non multum diuerſa ſit. In eo quidem ſchemate omnino locum merentur febris algida, ſyncopalis, elodes, quanquam ſingulares ſpecies non ſint, ſed varietates potius, vt vocant philoſophi, quae nomen acceperunt a ſymptomate maxime vrgente.

In anglia Sydenhamvs, Mortonvs, et recentiori tempore Hvxhamvs, et Pringle magis magisque excoluerunt febrium doctrinam. Sydenhamvs quidem poſt Hippocratem princeps appellandus, cuius merita recte nuper celebrauit Grant, more parentis medicinae, Hippocratica induſtria et ſagacitate febrium epidemicarum decurſum obſeruauit. Is bene etiam perſpexit, quidquid e nuperis nonnulli obganniant, febres plerumque eſſe indolis inflammatoriae. Etenim aut vana ſunt omnia artis noſtrae praecepta, aut veriſſima in aeternum manebit ea ſententia; paucis exceptis, febres plerumque a diatheſi phlogiſtica, vt appellarunt ex longo tempore medici, humorum oriri. Quam diu enim aliqua ſaltim vis

vis viua in ſolidis ſuperſtes, non raro in progreſſu febrium omnis fere generis, partium internarum inflammationes ſuperuenire ſolent.

Anglis illis, mox antea laudatis, debemus illud in praxi vtiliſſimum axioma, febrim varioloſam vel morbilloſam nunc eſſe vel febrim inflammatoriam, vel venoſam, vel gaſtricam. Hypotheſes bene multas fouit quidem MORTONVS, ſed variolarum diſcrimina, et reliquarum etiam febrium, ſatis bene perſpexit, ac ſigna diuerſarum ſpecierum eleganter et accurate recenſuit.

In Germania demum, nam quare non dicam, exteris deberi potiſſimum emendatam febrium doctrinam, in dies magis innotuit, febres exanthematicas omnes modo ad inflammatorias, modo ad bilioſas, modo vero ad putridas, et modo denique ad malignas ipſas pertinere.

Hoc quidem de variolis primum demonſtrarunt angli laudati, de peſte nuperrime CHENOT, et de aliis exanthematum generibus, quae fere ſemper cum febre apparent, alii. Tandem innotuit, pauca ſummodo genera ſumma comprehendere ineffabilem fere numerum febrium, quae variis vocabulis inſigniri ſolent, et praeter illa genera pauca ſimplicia, dari ſolummodo paucas complica-

 tiones

tiones febrium, ſcilicet inflammatoriae cum putrida et cum biliosa, et putridae cum maligna.

Febres omnes, ſicut reliqui morbi, vel a typo febris, vel a fomite eius, diuidi ſolent in varias ſpecies, et variis artis vocabulis inſigniri. Ordines morborum a typo et ſymptomatibus, ſpecies a cauſſis definiunt recentiores Noſologi. Sed omnium conſenſu in artis vſu ea febrium diuiſio, quae cauſſas reſpicit, praeferenda eſt.

Cauſſa enim febris praecipuam medici attentionem ſibi vindicat, qua remota ſponte ceſſat typus. Is quidem ludit ſaepe, et variabilis eſt, immo non raro filum praebet in praxi, ſed nihilominus medendi ratio cauſis accommodanda erit. Aliam medendi rationem poſcit continens ſimplex, aliam putrida, quoniam in vtraque longe alia cauſſa accuſanda. Sed bilioſa, vt exemplo vtar, ſiue ſit remittens continua, ſiue intermittens, fere vna eademque medendi ratione tollitur. Perquam facile tertianae bilioſae ſolent degenerare in continuas remittentes ſ. quorundam malignas, vt prolixiori demonſtratione non opus ſit, nimiam eſſe quorundam recentiorum ſubtilitatem, qui velint aliis perſuadere, alia ratione continuis remittentibus, alia remitten-

mittentibus nos debere mederi. Eſt mira profecto febrium inter ſe cognatio, ea tamen, vt quarundam affinitas magis conſpicua ſit, nonnullarum vero magis obſcura.

Argumentum illud olim Cl. Fromm pertractandum commendaui, qui edidit Ienae diſſ. de acutarum febrium differentiis, ſed mentem meam non ſatis perſpiciens vir doctiſſ. deſiderio meo non prorſus ſatisfecit. Paulo poſt edidit vir Cl. Christ. Gottl. Selle, methodi febrium naturalis rudimenta, Halae 1770. 4t, et alio titulo, libri forma et auctius 1773, rudimenta Pyretologiae methodicae, Berolini. Librum meliorem non habemus, nec in quo accuratius tradita eſſent febrium ſigna pathognomonica et ſynonyma, ex optimis obſeruatoribus collecta, et doctiſſimis annotationibus illuſtrata. Velim tamen, vt ſimul adieciſſet Vir Cl. indicem alterum, quo in conſpectu paterent ſpecies diuerſae febris eiusdem nominis. Sic v. c.

Pleuritis alia eſt

1) Febr. Synoch. ſimpl. p. 115.
2) — — putr. p. 184.
3) — remitt. bilioſ. infl. p. 215.
4) — — — putr. p. 234.
5) — verminoſ. infl. p. 253.
6) — — putr. p. 256.

7) Febr. interm. inſt. p. 370.
8) — — — klioſ. p. 310.

Hoc eam ob cauſſam eo magis exopto, vt habeant tirones in arte noſtra librum memorialem, nam nunc quidem aut non omnes intelligunt eum librum, nec eo recte vti diſcunt, aut coguntur in vſum proprium ex conſpectu libri in calce eius occurrente, indicem talem conſcribere.

Poſſumus propediem nouam huius libri editionem expectare, qua occaſione indicem deſideratum addere, certe non dubitabit Vir Cl. et cariſſimus amicus meus, vt habeant medicinae ſtudioſi librum omnibus notis abſolutum, et vſibus practicis valde accommodatum.

Habuit Cl. Selle praeceptorum b. Schroederum, anteceſſorem meum, qui ſtudio incredibili, ſummeque laudabili, optimos legerat auctores, ſibique familiarem fecerat omnem meliorem febrium doctrinam, cuius breuem epitomen paulo antea quoque dederat b. meus praeceptor, Mangoldus in diſſ. illa, de *ingenti exanthematum diſcrimine quoad febrim* etc. et quam ante hos annos viginti Vir b. mihi iamiam inſtillauerat iuueni.

Ante-

Anteceſſoris mei, b. Schroederi, doctiſſimi diſcipuli nonnulli capita quaedam febrium doctrinae praeceptoris ſui, hic Gottingae publice defendenda ſibi elegerunt, e quibus hic nominanda ſunt, de *amplitudine generis febrium bilioſarum*, *de variolarum diſcrimine*, *de pleuritidis partitione*, *de putridis febribus* etc.

Quum doctiſſimus ſcholae meae olim Ienenſis diſcipulus Cl. Ravet *therapiam febrium acutarum* pertractandam ſibi eligeret, non potuit non attingere ſimul doctrinam pathologicam de praecipuis febrium generibus ſimplicibus, quem libellum ne quidem Cl. Tode atro notare carbone auſus eſt. Sed, vt nunquam fuit conſenſus medicorum, nec erit vnquam, de ipſis ſummis generibus febrium ſtabiliendis lis mota fuit ab omni tempore. Sic enim lego, alios egaſſe putridas alios malignas. Putridas vero quod attinet, eas Cl. Sarcone, ſeculi noſtri inſigne ornamentum adeo maſcule defendit, vt dubitem omnio, quemquam melius poſſe vnquam docere, dari febres putridas. Neminem tamen credo ignorare, quae contra putridas febres nuper Cl. Gessner ingenioſe ſatis diſputauit. Occurrunt etiam varia memorabilia et lectu digna contra vulgarem de putredine doctrinam, in libro, quem Cl.

VNZER nuperrime argumentis III. HOFFMANNI, ſuper vera variolarum ratione, oppoſuit.

Quum negaret inprimis b. ANT. DE HAEN, febres malignas, voluit Perill. PRINGLE potius eo vocubulo abſtinere in nouiſſima operis ſui editione, quam eo vti. Alii denique affirmarunt, febrim malignam eſſe putridam, nec vnam ab altera diuerſam eſſe. Malignas febres nonnulli dixerunt eſſe eas, cum in cerebro ipſo inciperet putredo.

Qui genus vnum ab altero diſtingui volunt, ſtatuunt TISSOTVM male et non accurate ſatis vtriusque ſymptomata et cauſſas tradidiſſe.

XVI.

ORATIO

IN LAVDES MERITORVM

ALBERTI DE HALLER

NVPER PIE DEFVNCTI

PVBLICE RECITATA

D. II. IAN. MDCCLXXVIII

CVM

IN TEMPLO VNIVERSITATIS FASCES

POST ANNVM REGIMEN

SOLENNITER PONERET.

PIIS MANIBVS

ALBERTI DE HALLER

VIRI IMMORTALIS

ET

TANTI VIRI

FILIIS, FILIABVS

AC

NEPOTIBVS

NEC NON

VIRIS

[N]OBILITATE GENERIS, MENTISQVE EGREGIIS
VIRTVTIBVS PRAECLARE CONSPICVIS

FRANCISCO BOSSET,
NOVICASTRENSI,

[I]IOANNI LVCAE LE GRAND,
BASILEENSI,

[B]ALTHASARO DE PFISTER,
SCAPHVSINO

GEORGIO DE ROUGEMONT,
NOVICASTRENSI,

[V]INCENTIO DE SALIS-SILS,
E-GRISONIBVS,

SAMVELI WYSS,
BERNENSI,

BERNH. EMANVELI ZEHENDER,
BERNENSI,

FRIDERICO ZEHENDER,
BERNENSI,

[G]EORGIO CASPARO DE ZOLLICOFER
AB ALTENKLINGEN,
ST. GALLENSI, MEDICINAE DOCTORANDO,

HELVETIAE

CIVIBVS OMNIBVS,

IAM VERO

STVDIORVM CAVSSA

CIVIBVS GOTTINGENSIBVS,

QVI

HANC ORATIONEM IN LAVDES

HALLERI,

PATRIAE SVAE ORNAMENTI SVMMI

BENIGNITER ET LVGVBRI ANIMO

AVDIVERVNT,

PLAVSVQVE DICENTEM HONORARVNT,

ANIMO PIO

D. D. D.

E. G. BALDINGER.

Non putaram, hunc diem nobis fore triſtem. Sperabam enim potius ante paucos adhuc dies, me ex omni parte beatum, hilari animo munus Pro-Rectoris Succeſſori meo mandaturum eſſe.

Nulla enim calamitas per integrum annum, quo penes me fuit regimen academicum, turbauit gaudia noſtra.

Viximus omnes ſalui atque incolumes muſis, quisque ſui memor officii.

Vos vero, Ciues dilectiſſimi per id omne tempus Vestri erga me ſingularis amoris, Vestrae obedientiae, immo diligentiae laudabilis, tot dediſtis documenta, quot a Vestra diſcendi cupiditate, a Vestro liberali bonarum artium et morum elegantiorum ſtudio ſperare poteram.

Laetus hodie Vestras ſolummodo laudes ego celebraſſem, Vobisque mei memoriam commendaſſem, niſi triſtis nuntius *a*) turbaſſet gaudia mea, ſimulque animum meum

a) Is erat Praenob. Wyss, cognatus Marianae ab Haller, cuius cineres ſeruantur Gottingae in Aede *St. Albani.*

meum antea hilarem, graui nunc moeſtitia impleuiſſet, et lugubrem ſimul hodie diſſerendi occaſionem dediſſet,

Audiui enim, die duódecima menſis Decembris, hora veſpertina quinta, fatis tandem ſuccubuiſſe, qui graui morbo diu laborauerat,

ALBERTVM DE HALLER,

quem nominäſſe ſumma laus eſt.

Is fuit enim quondam, immo fuit ad vltimum vsque vitae ſuae diem, inſigne ornamentum vniuerſae huius academiae, et ordinis medicorum, cui Regis ſingularis clementia me ante hos annos quinque et quod excurrit, adſcripſit.

Tanto Viro ſane multa debet academia noſtra, vt iam eam ob cauſſam impium eſſet, Eius hodie non celebrare laudes, merita, exemplum, niſi etiam haberem alias rationes, mox recenſendas.

Fuit enim ſeculi noſtri, Patriae ſuae et Europae totius ornamentum princeps, vt effari vix queam, quanta ſit iactura, quam fecimus omnes.

Facundia quidem cedo libenter KAESTNERO et HEYNIO, qui ſane eruditi ſunt celebrare laudes ſummorum virorum, ſed pietate

pietate erga Virum, quem amiſimus nuper, cedam nemini.

Etenim nimia et immmortalia ſunt EIVS in me merita, vt cum ex longo tempore paterno me amore amplecteretur, ego tantorum beneficiorum non immemor, id ſaltim mei eſſe cenſeam officii, vt pro viribus enarrem pio ac deuoto animo, quot et quanta ſint merita TANTI VIRI, quem NOSTRVM appellare fas eſt, QVIQVE per futura etiam ſecula manebit princeps ornamentum noſtrnm.

Vitam EIVS ante me recenſuit VIRI incomparabilis diſcipulus dilectus, Ill. ZIMMERMANNVS, quem etiam Noſtrum nunc appellare licet, quique, praeceptoris ſui veſtigia tanto ſtudio ſequutus eſt, vt nunc merito etiam particeps factus laudum ſui amantiſſimi praeceptoris.

Ego meo nunc indulgens ingenio, decreui mecum VOBIS, Auditores Humaniſſimi, breuiter ac ſtrictim exponere, quae ſint merita VIRI beati, qui nuper a nobis in meliorem vitam diſceſſit.

Enutritus ILLE doctrina BOERHAAVII, Viri ſummi, medicinae graecanicae reſtauratoris, quem ad vltimum vsque vitae halitum magni fecit; et cuius memoriam ſumma

pietate ſemper coluit, ſummas ſibi ipſi comparauit laudes, interpretando praeceptoris ſui dogmata.

Licet vero caecus non eſſet aſſecla praeceptoris ſui, cuius iuſtas laudes nuper Ipse celebrauit in Bibliotheca practica, affirmans, nunquam exſtitiſſe praeceptorem, qui melius erudiret iuuenes, Is tamen perpoliuit potius praeceptoris ſui dogmata, quam vt ea carperet, vbi nonnunquam a vero aberraſſe viſus eſt.

Dignus amor Tanto diſcipulo erga tantum praeceptorem! Curauit Hallervs, ſummo ſtudio, vt amantiſſimi ſui praeceptoris libri, a mendis repurgati in lucem prodirent, et eius dogmata explicuit tanta concinnitate, vt in ſui admirationem ſtatim omnes raperet. Simul vero praeceptoris doctrinam Ipſe mirifice auxit, et tot ingenii ſui perſpicaciſſimi documenta dedit, vt mox appareret, quam primum eruditis innoteſceret Hallervs, quaeuis magna ab eo poſſe ſperari.

Ingenio, memoria, a teneris ſtatim vnguiculis excelluit, et puer iamiam commilitones exſuperauit.

Induſtria, laboris patientia, parem inuenit neminem.

Ama

Amauit tener adhuc, in aetate puerili, ſtudium linguarum, anatomen, plantarum cognitionem, et conſtantia ſine exemplo vicit impedimenta quaeuis, aduerſam valetudinem et fortunam, donec liceret abunde ſatiare diſcendi cupiditatem.

Annotauerat legendo quaeuis memorabilia, vt iuuenis iamiam haberet incredibilem copiam diuitiarum, quae virum doctum ornant.

Compilatorum eſt, vndecunque corradere omnia, ſed noſter nonniſi memorabilia maximeque notatu digna in aduerſariis ſuis annotauerat, nouaque plane methodo vniuerſae eruditionis medicae theſauros ſibi collegerat, et poſtea ſatis abunde docuit, ſe ingenio, magnaque induſtria, et rerum delectu, nucleos ſolummodo, abiectis putaminibus, ſeruaſſe.

Inde factum eſt, vt oraculum ſeculi noſtri euaderet HALLERVS, et vno intuitu perſpectum haberet, quam late patet, eruditionis medicae campum et optime ſciret, quae fuere a rerum initiis, ad noſtra vsque tempora, viciſſitudines ſingularum doctrinarum ſtudii medici vniuerſi.

GORTERVS, in libro, cui titulum fecit, methodus dirigendi ſtudium medicum, ſimile quid meditatus eſt, ſed omnes fateri

tenentur, eius theſauros collectos, eſſe rudem indigeſtamque molem.

Diſcendi, legendique cupiditate, ingenio, veri amore, induſtria, candore, nemo vnquam mortalium vicit HALLERVM noſtrum.

Perſpiciens Ille, quae ab omni retro aetate a viris doctis geſta, et annotata, non ſolum eruditiſſimus appellandus eſt, ſed quod maiores laudes meretur, acutiſſimo praeditus ingenio, ſummum exſtitit exemplum medici philoſophi.

Etenim vbique ſubtiliter philoſophatus eſt, facta comparauit, ſublimioremque ſcientiam medicam vere condidit.

Quo quidem philoſophandi ſtudio et genere dicendi, ſummus exſtitit et princeps Doctorum, qui vixere vnquam.

Nulla res adeo abſtruſa, vel adeo ſublimis, quam non aeque facile, immo ſumma, quae in eo erat perſpicacia, et incredibili fere facilitate, penetraret.

Summa in eo Viro fuit laboris patientia, conſtantia, induſtria, repeto, ſed aeque ſummus etiam eius fuit veri amor et candor.

Plura quam trecenta cadauera diſſecuit ipſe ſummo ſtudio, ſimulque curioſus fabricam

cam partium ſubtiliorem rimatus eſt, illam accuratius deſcripſit, et depingi curauit.

Incidit in ea tempora aetas viri ſummi, quae iure barbara adhuc dicenda.

Vix enim inchoata erat a BOERHAAVIO ſtudii noſtri reformatio, et nondum fulgebat vbique praeſtantia doctrinae tanti viri.

Rudis erat adhuc et manca cognitio fabricae partium corporis humani. Etenim praeter MORGAGNI et RVYSCHII ſcripta vix illo tempore exſtitit liber de anatome ſubtiliori et accuratiori. Sed de naeuis anatomes illorum temporum Ipſe HALLERVS audiendus eſt.

Phyſiologia illorum temporum vix laudes doctrinae meretur, ſed chaos erat confuſum, totaque quaeſtionibus, neſcio an dicam inanibus magis, an vero ridiculis, adeo conſpurcata, et tenebris vere obſcurata erat, vt omnino ſtabuli inſtar Augiae a ſordibus eſſet repurganda.

Hoc opus immortale felici auſu ſuſcepit HALLERVS, et ſolus perfecit omnium applauſu, ſibique immortale meritum parauit, ac aere perennius monimentum condidit.

Primus Ille ſolus ſibi collegit apparatum, omnia digeſſit et apte ſatis compoſuit.

Labore indefeſſo eum in finem corpora hominum et brutorum incidit, noua tentamina, eaque permulta, ſuſcepit, atque repetiit, in ipſis viuis animalibus, et quae docuere culter, vitra, ea omnia diligenter annotauit. Plus vidit Ille et confiſus eſt propriis oculis, quam alienis, ſedulo tamen aliorum vſus eſt laboribus, experimentis, immo ratiociniis ipſis, ſed caute omnibus.

Summa enim induſtria ſibi cauit ab omni errore, nec credulus fuit, nihilque in proprios vſus recepit, niſi ſcrutatus eſſet ſollicite antea.

Omnes diuitias vniuerſae eruditionis medicae contineri voluit in opere ſuo phyſiologico, cuius altera editio propediem foras prodibit, nam pars vltima iam ſub prelo ſudat.

Quae ſagacitas doctorum virorum noua detexit, hoc ſeculo circa rerum naturam, ea omnia induſtria Halleri in epitomen quandam redegit, et apte ſatis diſpoſita nobiscum communicauit. Hiſtoriam neruorum, vaſorum, generationis doctrinam vniuerſam, ſibi omnia excolenda elegerat Vir Summus, et in eo ſtudii genere antecelluit omnes, quos habuit anteceſſores.

Sed, quod praeſtat inprimis, hoc eſt, ad obſeruationum fidem, quaecunque docuit, reuo-

reuocaſſe EVM omnia, nihilque admiſiſſe, quod non ſeuerior philoſophandi ratio nos ſentire doceat.

Aliud meritum et Phyſiologiam HALLERI, ceteraque Eius opera immortalia commendat.

Scribendi genus intelligo, quo quidem adeo excelluit, vt eius ſermonem et vim orationis vix poſſe laudari ſatis, omnes habeam teſtes, qui de his rebus iudicare poſſunt.

Placuit omnibus HALLERVS ſermone graui, oratione maſcula, omnesque mirati ſunt facundiam VIRI, qui tot ingenii facultates, praeclaro ſtudio perpolitas monſtrauit, quot perpaucis vnquam ſummum numen tribuit.

Siue enim velimus ſpectare vaſtum HALLERI ingenium, ſiue incredibilem Eius et immenſam eruditionem, ſiue denique multitudinem eorum, quae ſolus ille perfecit, magnus vbique apparet VIR.

Sentio, verba mihi deficere, quibus exprimere velim geſta et merita VIRI immortalia, cui ſimilem vix vidit vlla aetas.

Non ſolum enim pertractauit, emendauit, auxit, nouaque methodo adornauit ſingulas fere artis medicae doctrinas, ſed quod fugit neminem, ambitum fere omnem vniuerſae eruditionis emenſus eſt.

 Nullum

Nullum genus doctrinarum et artium non coluit, in ſingulis excelluit, iuſtasque ſibi parauit laudes.

Doctrina de ſanguinis motu in animalibus, homine inprimis, de generatione, oſſium in fetubus formatione, monſtris, de natura partium irritabili et ſenſibili, de ſecretione, noua illi debent iuuenta.

Accuratius ille fabricam ſubtiliorem partium corporis humani deſcripſit, immo tot nouas plantas, antea non viſas, non ſine inſigni labore vndique collectas, eleganter, et methodo, quae naturam ipſam depingit, enumerauit.

Satis eſt VIRI doctiſſimi opera nominaſſe, quae immortalitatem ſibi polliceri poſſunt, Icones partium corporis humani, opus magnum phyſiologicum, enumerationem ſtirpium Heluetiae, opera, quae Regibus placuere, et quae plauſum Regum merentur.

Philoſophi huius ſeculi principes mirantur vaſtum HALLERI ingenium. Alii iamiam recte monuerunt, in nullo alio eruditionis genere librum exiſtere, quem cum opere phyſiologico poſſimus comparare.

Tantae ſunt enim eius libri diuitiae, vt exhibeat theſaurum ſublimioris philoſophiae,

vt

vt ſit epitome omnis verioris anatomes, immo phyſices ad corpus humanum applicatae. Continet praecipua pathologiae et ſemioticae capita perfecte elaborata, et ſiſtit ſummam omnis verioris et ſolidioris cognitionis humanae, de homine ipſo.

Plantarum notitiam non ſolum auxit HALLERVS, ſed IPSE condidit nouam ſyſtema, quod omnium conſenſu naturae ſyſtema, diu fruſtra quaeſitum, apte ſatis exprimit.

Sed illud vix capiunt tirones in ſcientia botanica, et qui poſſent capere, cum ſit opus artificis ſummi in arte ſua.

Oeconomiam, vniuerſam Technologiam, ſalis cocturam, agriculturam, et quae ſunt reliquae doctrinae, quae ad felicitatem hominum faciunt, non ſolum diligenter coluit, ſed nouis inuentis et acceſſionibus ditauit, locupletauitque.

Phyſicum ſe eſſe ſummum, multoties abunde ſatis commonſtrauit. Verſatiſſimus erat in ſtudio Zoologiae et Mineralogiae, et quod fata attinet globi noſtri terr-aquei, de illis adeo ſubtiliter diſputauit, vt omnes libenter TANTI VIRI dogmata amplecterentur.

Diuinam

Diuinam humanamque eruditionem ſibi familiarem fecerat incredibili ſtudio, et inſatiabili cupiditate.

Non mediocriter verſatus erat in rebus theologicis, non rudis in iuris doctrina, non hoſpes in ſcientia, de re publica bene adminiſtranda.

Patriae ſuae *Noua ſerta parauit;* vt bene dixit artifex in nummo, in HALLERI honorem cuſſo, non ſolum eruditionis fama, qua longe lateque inclaruit, ſed conſiliis etiam et prudenti adminiſtratione prouinciae Rupenſis reipublicae patriae fuit ciuis optimus.

Nimis foret prolixum, et a meo inſtituto alienum, ſi vellem enumerare ea omnia, quae Heluetia Tanto Viro debet; nec dubito, quin in ipſa Heluetia quis celebraturus ſit HALLERI merita in rempublicam, qui tanto amore patriae feruebat, vt vix vnquam Heluetia viderit ciuem meliorem.

Vos, dilectiſſimi Helueti, nunc ciues noſtri, orbati eſtis Viro, qui Heluetiae decus manebit aeternum.

Cauſſam Dei et virtutis saepius ſtrenue et maſcule defendit, contra obtrectatores, et ineptas aduerſariorum querelas.

Virtu-

Virtutem, verum Dei cultum, commendauit omni data occaſione, ſuoque exemplo confirmauit, virtutis amantem viuere beatum.

Fuit per omnem vitam laborioſiſſimus, quod abunde teſtantur tot opera Viri doctiſſimi, non ſine labore nata. Facienda enim erant itinera, plantae mox in ſummo Alpium acumine, mox in terris arenoſis, paludoſis, mox denique in ſaxeis regionibus colligendae, et collectae examinandae, ordinandae erant.

Tot cadauera diſſecuit patientia ſumma, tot experimenta inſtituit in animalibus viuis, cultro et vitris, probeque obſeruauit ſanguinis motum, animalium generationem et alia, et tam accurate omnia obſeruauit ſedulo, quam antea nemo.

Dies noctesque vigilauit, allaborauitque in id, vt quicquid ab aliis iam dictum, vel obſeruatum et annotatum in tot libris lateret, omne ſibi cognitum redderet.

Summam eorum, quae legerat, in epitomen ſemper redegit, et quam incredibilem legerit librorum copiam, monſtrauit in ſingulis a ſe editis libris.

Summus in ea exſtitit arte artifex, tot vaſta volumina in breuem quandam epitomen redi-

redigendi. Teſtantur immenſam Viri beati eruditionem, et quam adhibuerit legendo induſtriam, inter alia quoque Ephemerides ſ. Relationes de rebus litterariis nouis, quarum ab anno ſeculi huius ſeptimo poſt quadrageſimum, princeps exſtitit auctor.

Fama meritorum doctrinae, eruditionis Halleri, effecit, vt incredibili voluptate et inſatiabili cupiditate legerent eruditi omnes Halleri relationes, cenſuram, animaduerſiones, ſuper libris recenter editis.

Quicquid facit ad augendam amplificandamque cognitionem eruditam, id omne in Ephemeridibus Gottingenſibus indicare nunquam neglexit, ſuaque cura, induſtria, ſuo labore, curauit, vt quaeuis notatu digna innoteſcerent viris doctis.

Id quidem mature fieri ſaepe impediuit multitudo laborum et librorum, nam vere ruit hodie mole ſua omnis eruditio, et alia ſimul Hallero negotia erant peragenda.

Tot vero praeſtitit, quot ante eum nemo, et quod inprimis a me reticendum non eſt, grauem quidem, et ſeuerum, vt decet, cenſorem ſe praeſtitit, ſed liberalem, qui non laceraret hominum famam. Mitius ſemper, et ſumma, quae in eo erat humanitate, errores aliorum percenſuit, non virga vel ſtrigili vſus,

vſus, quibus Criticaſtri noſtra aetate vti non erubeſcunt. Neminem Ille deriſit, neminem ludibrio expoſuit, ſed virum ſe geſſit, non vt nuperi quidam ſolent, hiſtrionem.

Acutiſſimum HALLERI iudicium fulgebat vbique, ſiue Ipſe ſcriberet libros, ſiue ſummam enumeraret librorum ab aliis editorum, ſiue denique de iuſto ſuper libris pretio ſententiam diceret. Et eo quidem ingenii acumine, et inſigni, quae in eo erat memoria, excelluit, fuitque miraculum omnium temporum.

Vt nullum inuentum omnium aetatum fugiebat memoriam Viri ſummi, facile perſpexit, quae in arte noſtra adhuc dubia, ſolertiorique ſtudio indaganda et emendanda ſupereſſent.

Quis vero dubitat, cognitionem eorum eſſe vtiliſſimam, quae adhuc neſcimus.

Quis vero, quaeſo, HALLERO ſciuit melius, quae adhuc in arte noſtra vniuerſa ſint manca et hiulca.

Quum legiſſet a puero omnis generis libros, optimo conſilio, quod ſummas iamiam promeruit laudes, foras dedit bibliothecam anatomicam, chirurgicam, botanicam, practicam, omnesque diuitias eruditionis in hunc theſau-

theſaurum multo ſtudio et incredibili labore collectas, nobiscum benigniſſime et liberaliter communicauit.

Fuit autem ſtrenuus vindex meritorum et inuentorum cuiusuis auctoris, ſuumque cuique tribuere, praecipua lex fuit HALLERO. Candide tamen, vt decet Virum probum et doctum, non reticuit errores, naeuos, fictas hypotheſes et a veritate alienas, modeſte tamen vbique.

Nullum exſtitit hoc ſeculo eruditorum diarium doctius, quod non ſocio labore HALLERVS ditaret. Hic nominabo tantum Relationes Gottingenſes, latino ſermone ſcriptas, Excerpta Italicae et Helueticae litteraturae et Eſtratto della litteratura Europaea, vt taceam Acta eruditorum praecipua.

Adſiduus fuit et indefeſſus labore HALLERVS, et in dies magis emendauit, perpoliuit, opera a ſe olim edita, de ſe ipſo vero ſemper modeſte dixit et ſenili aetate, cum de aduerſariis ſuis ſermo eſſet, illorum praeco fuit.

Euoluat, ſi quis dubitare velit, bibliothecam botanicam, et legat, quae de LINNEO eiusque in botanicam meritis HALLERVS noſter ſcripſit.

Euoluat

Euoluat, quae ipſe HALLERVS in biblio-
heca anatomica de controuerſia, olim cum
ALBINO agitata, narrauit.

Solus veri amor fulget, nuda veritas appa-
ıet, omnis abeſt liuor et inuidia.

Poeticam artem in deliciis habuiſſe HAL-
.ERVM, omnes ſciunt.

Nemo vero vnquam exſtitit vir magnus,
ui non amaret litteras, quae ab humanitate
ıomen habent, et HALLERVS hanc anti-
uam veritatem ſuo iterum exemplo con-
irmauit.

Non vero, vt verba ſonantia cogeret in
ıumerum, verſus fecit HALLERVS, ſed vt
irtutis laudes commendaret.

Caſtus fuit HALLERI poetae amor,
aſte vixit Ipſe et in omnibus rebus fuit mo-
iicus. Abſtinuit etiam a vini potu et a car-
iis eſu, et ſobrie vixit per omnem vitam.

Nihil itaque ineptius animaduerſionibus
uibusdam, quibus HALLERI famam com-
aculare ſtuduerunt quidam eius hoſtes, in-
idia ducti.

Sed de HALLERO hactenus diſſerui,
iro docto, laborioſo, veritatis amatore et
irtutis. Recenſenda Eius nunc ſunt breuiter

merita praeclara in academiam noſtram vniuerſam, in ſtudium medicum Gottingenſe.

Hic docuit, ab academia condita, ad annum ſeculi tertium, poſt quinquageſimum, anatomen, botanicam, phyſiologiam, chirurgiam, medicinam forenſem, et princeps exſtitit profeſſorum Germaniae.

Condidit theatrum anatomicum, horti botanici fundamenta iecit, et omnia mirifice exſtruxit. Collegas nactus erat, viros eruditiſſimos, RICHTERVM, eximium BOERHAAVII diſcipulum, SEGNERVM, nuper pie defunctum, mathematicum ſubtilem et chemicum doctiſſimum; BRENDELIVM, totum Hippocraticum.

Praeſtantia doctrinae HALLERI, Eius meritorum copia, mox innotuere omnibus. Inclaruit ſtatim libris eximiis et ſplendidis a ſe editis, vt ab exteris locis et longe diſſitis regionibus cumulatim advenirent iuuenes, magnaque frequentia auidiſſime audiret Doctorem eximium; cuius eruditionis copia, populare dicendi genus, mira ſubtilitas, et vbertas, mirifice ſtatim placuit, et allexit diſcentium multitudinem.

Vos Helueti cariſſimi, quibus placuit hanc noſtram muſarum ſedem eligere, Veſtri HALLERI meritis in noſtram academiam allecti,

non

non dubitaſtis patrios lares ad tempus deſerere, et hanc bonarum artium mercaturam viſitare.

Non parum HALLERVS Veſter contulit ad gloriam nouae academiae apud exteros augendam, quam doctrina ſua et labore indefeſſo mox celebrem reddidit.

Doctrinae enim melioris et emendatae in vniuerſa Germania exſtitit auctor et conditor.

Creuit in dies magis HALLERI laus, cum tot eximios diſcipulos, a ſe optime formatos, ad exteros mitteret, qui eſſent nuntii et teſtes doctrinae *Hallerianae*, et late propagarent Eius doctrinam.

Controuerſiis etiam implicitus, victor non exiguas laudes reportauit, et ea occaſione contigit, vt omnes auidiſſime opera Halleriana euoluerent, et non ſine admiratione legerent.

Multum iuuit quoque ad augendam Georgiae Auguſtae celebritatem, commercium, quod per epiſtolas cum eruditis aluit HALLERVS, quarum eximium theſaurum nuper publici iuris fecit.

Socius labor diſcipulorum eximiae indolis, multum iuuit praeceptorem, inprimis cum tentaminibus faciendis methodum et artem inueniendi noua proponeret HALLERVS.

Quem fugit celebritas virorum clariſſimorum, quos optime formatos e ſchola ſua dimiſit. Superfluum foret, nomina horum hic commemorare, cum ſint celeberrima.

Tanta HALLERI noſtri merita condecorauit GEORGIVS, huius academiae conditor, clementia ſua ſingulari, et patrocinio ſuo Maecenas, MÜNCHHVSIVS, cuius ſanctam apud nos memoriam, nulla delebit obliuio.

Maecenati, quem et hodie veneramur, quique primus habendus eſt auctor felicitatis noſtrae, adeo carus fuit HALLERVS, vt Eius conſilia non ſolum non ſperneret, ſed multoties cuperet.

Eius conſilio inter alia factum eſt, vt ſocietatem litterariam condendam proponeret HALLERVS, cuius laudabilis inſtituti Ipſe princeps habendus eſt auctor, et quod Illi debet non ſolum primordia, ſed et maximam partem ſplendoris ſui.

Nouo hoc inſtituto non parum contulit ad augendam celebritatem Georgiae Auguſtae apud exteros. Nouo hoc foedere exterorum ſibi conciliauit animos, et multum iuuit commoda vniuerſae academiae.

Ephemeridum cura, quam in ſe ſuſceperat, mirifice auxit academiae Gottingenſis celebri-

celebritatem, et cum rediret in patriam HALLERVS, nihilominus non deſiit muſis Gottingenſibus prodeſſe.

Quotannis enim Acta Societatis ditauit et ornauit eximiis ſuis laboribus, Ephemeridum curam non depoſuit, ſed ad mortem vsque proſpexit, ne deeſſet in illis notitia vberior, illarum rerum omnium, quam a viris litterarum cupidis ſciebat tanquam cupedias deſiderari.

Plura diçenda reſtant, et immenſus pateret campus, ſi omnia vellem exhaurire. De Viro enim Tanto dicere multa, non erat difficile, hoc ſolum vero difficile, nihil eorum omittere, quae dicenda erant omnino.

Nec anxie quaerenda erat laus HALLERI, ſed enarranda potius eius geſta praeclara.

Morbum, qui HALLERO tandem letalis fuit, Ipſe deſcripſit in Actis Societatis.

Pertinet omnino ad anomaliam morbi podagrici, ſiſtitque exemplum, materiae podagricae ad veſicam delatae, quod nouum non eſt, et antea iamiam annotatum.

Sed nec ipſe MVSGRAVIVS, qui optime alias morbi podagrici metaſtaſes pertractauit, HALLERO curatius recenſuit, diriſ-

ſima illa ſymptomata, quae decubitum materiae podagricae ſequi ſolent.

Patienter tulit HALLERVS vim morbi, per aliquot annos, licet vehementes ſentiret dolores, et inſignem moleſtiam.

Non ſiuit dolorum atrocia turbari ſtudium ſuum litterarum, et ad vltimum fere vsque vitae halitum manſit labore indefeſſus.

Nec prius mentis conſtantia defecit, quam eo temporis momento, quo mors iam prope inſtaret.

Vltimam ab eo accepi epiſtolam menſe Octobri, qua de rebus doctis, vt ſolebat, me inſtruxit, et annunciauit, operis phyſiologici nouam editionem iam typis fere exſcriptam eſſe. Sed meminit, non amplius vires ſuſſicere, vt poſſit promittere phyſicam bibliothecam.

Praeuidimus, non procul abeſſe terminum vitae Tanti Viri, qui omnino diutius viuere potuiſſet, ſi annos, quos vixit, numerare velimus, ſed merita Eius ſi velimus ſpectare, vixit ſatis et vltra; nam immortalem nactus eſt gloriam.

Moriendi neceſſitas nos Viro orbauit eruditiſſimo, ſi quis vnquam eruditus dicendus eſt.

Fuit polyhiſtor, fuit polygraphus, ſed quod ceteris laudibus omnibus palmam praeripit,

ipit, fuit veritatis ſtrenuus aſſecla et vindex, uit inuentor et vere auxit artem noſtram, nobisque ſummum exſtitit exemplar verioris ruditionis, quod imitemini.

Tanti Viri veſtigia vel e longinquo ſequi, ſumma laus eſt.

Cara nobis eſto memoria Eius, quoad viuis intereſſe licet, ſit nobis quoque HALLERVS virtutis exemplar.

VOBIS, Ciues optimi, hac occaſione non potuiſſem viri docti, probi exemplar Halleriano melius commendare.

VESTRVM eſt, VOBIS eligere exemplar viri docti, quod imitari decet.

Non deeſt VOBIS diſcendi occaſio ampla, quam in hac Vniuerſitate debetis Regum Optimo, Benigniſſimo, Clementiſſimo, etc.

Iterum atque iterum Deum precamur, vt Regem noſtrum longe clementiſſimum et benigniſſimum, Eiusque Regiam familiam fortunare velit. Seruet Deus Reginam, quae toties nobis clementiam et liberalitatem ſuam regiam probauit.

Seruet item, qui Regi ſunt a conſiliis ſanctioribus, et Illuſtriſſimos Curatores, felicitatis noſtrae auctores principes, ad ſeros, immo Neſtoreos vsque annos, omnique ex parte beatos eſſe velit.

Sub tantis auſpiciis floruit, et hodie floret academia noſtra.

Singulis Doctoribus academiae huius, viris excellentiſſima doctrina conſpicuis, mihique coniunctiſſimis, exoptatiſſimam ex animo precor felicitatem.

Vos denique, Ciues dilectiſſimi, qui teſtes eſtis, me Veſtris commodis per hunc annum ſolummodo ſtudioſiſſimum inuigilaſſe, non dubitetis, me grato agnoſcere animo Veſtrum erga me amorem et obſequium, Vestramque humanitatem.

Vos omnes dilexi, et nunc etiam diligo, et praeter Vestram ſecuritatem in votis habui nihil.

Abunde particeps factus ſum votorum meorum. Sciatis itaque, me grato nunc animo, Vobisque deditiſſimo id omne rependere.

Felices viuite ſinguli. Ite, quo fata Vos trahant. Ita valete iterum iterumque, mihique fauete.

94